In rege
Vipere
Protinus
Proge

Memen

Ad Xtum pro morte beat.

Tu rege me, sano in corpore mentem:
Vivere da rectè, da benè Christe mori.
Protinus ex illâ quâ primum nascimur horâ
Progrepiunt juncto vitaq; morsq; pede.

Sum Christiani Risii R. B.

Ao 1684. d. 2. Octobris.

B. HIERONYMUS.

Memento { Peccati tui, ut doleas.
Mortis tuæ, ut desinas.
Divinæ justitiæ, ut timeas.
Misericordiæ Dei, ne desperes. }

CONRADI HORNEII
Brunsuicensis
DISPUTATIONES
ETHICÆ X.
DEPROMTÆ EX ETH.
ARISTOT. AD NICOMACHUM
& habitæ in ill. Acad.
IULIA;

Quibus omnia quæ apud Philosophum fuse pertractantur breuiter comprehensa sunt, ea tamen perspicuitate, vt etiam vice commentarii esse in locis obscurioribus possint.

Denuò editæ cum disp. præliminari de philosophia in genere.

Accessit ejusdem disputatio una ex prima philosophia de natura boni & mali,

Cum indice Disputationum Ethicarum.



FRANCOFURTI.
Impensis IOHANNIS PRESSII.
M.D.C.XLVIII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO HVLDERICO, DVCI BRVNSVICENSI AC LVNÆBVRGENSI,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

SErenissime Princeps, Domine clementissime, Añus jam nonus est & quod excurrit, quũ primũ veni in hanc Serenitatis Tuæ illustrem academiã IVLIAM. Tenuit me scilicet, tanquam jynge quadam, hoc tã nobile musarum hospitium, quod nullo omnium inferius est per Germaniam, multis, si recta quis via rem reputet, palmam præripit, certe ambiguam omnibus facit. Ex eo tempore obstrictus Serenitati T. fui: mox ex quo spiritum hunc duco. Natus enim in metropoli regionum Serenitatis T. accessi adolescens dhũc quasi mercatum quendam optimarum artium: cui, si quid in litteris aut profeci aut profecturus sum posthac, omne vt debeo, ita acceptum jure meri-

 to fe-

ro fero. Beneficium autem regium, imo diuinum hoc eſt, quod primo Serenitatis T. munificentiſſimus Avus, dein ſapientiſſimus Pater, in vniuerſas Saxoniæ & has ſuas provincias annis jam quadraginta contulerunt, Tuaque Serenitas etiam nunc confert. Veſtra namque eſt benignitas, quod ad Bructerum quoque montem, & in ampliſſimis circum regionibus litteras ac ſtudia colimus, quod hic educantur eccleſiæ & reipubl. non ſolum illi quibus imperat Serenitas T. & oriundi ex vicinia, pœne dixerim innumeri, ſed exteri etiam ijq longiſſime diſſiti, quorum nemo hu venit vnquam, quin abſtulerit ſecum, ipſe voluit, quibus apud ſuos feliciter cumque maximo, certiſſimo & ſæpe perpetuo bono patriæ vteretur: nec enim defuerunt à principio academiæ Iulia viri vndiquaq; præſtantiſſimi, Theologi ICti, Medici, Philoſophi, nec hodie de ſunt. Exſtant equidem plurima majo rum Serenitatis T. illuſtria & regia fa cta, quæ nulla vnquam oblitterare po terit oblivio: at illuſtrius nullum eſt, ne ad vltimam poſteritatem inſignius, ha Avi Serenitatis T. magnificentia. Rel

&

ćta ea ſola erat laudis materia, quàm cum illo animo regio occupaſſet, eam ſui memoriam ſtatuit, vt *Caneſcat ſæclis innumerabilibus.* Maius hoc aliquid eſt quam aut ipſæ pyramides *Memphis quas barbara iactat*, Ægyptiorum illa quondam regum quid dicam aliud quam ſuauis inſania? aut qui in Rhodo aliquando extitit ingens & ſupra fidem humanam ſolis coloſſus, aut deniq; illa Romæ & Bizantij imperatorum theatra, amphitheatra, circi, baſilicæ, arcus triumphales, thermæ. Neque enim iſta nominis æternitatem præſtare conditoribus ſuis potuerunt, quam ipſa ſibi ſpondere nequibant, cum pleraque conciderint jam, cæteraque caſura omnia ſint ſi non aliis de cauſis, ſaltem injuria temporis. Sed faciamus æterna eſſe: inanima tamen ſunt, indicis atque annalium egent, vnde diſcamus quoque cujus immortalitati ſerviāt. Et quandiu, quæſo, eſt quod eorum quæ hodie ſuperſunt magna pars ignoratur cujus ſit: certæ illæ pyramides, quæ nunc ſunt in Ægypto, quibus Pharaonibus immortalitatem mereant, juxta ſcitur hodie, etiam ab antiquitatis conſultiſſimis, atque ipſæ illæ moles hoc

ſciunt·Quanto ergo, Sereniſſime Princeps, monumentum aui Serenitatis T. præclarius eſt iſtis omnibus, quod ille non ex lapidum mole aut ære extruxit, ſed ſum̃orum ac doctiſſimorum virorũ juuenumque lectiſſimorum ſemper florentem panegyrin, imo Pietatis & Sapientiæ templum & virtutum omnium palæſtram eſſe voluit? Fungus ſit & pro corde peponem habeat qui hoc non videat omni eſſe *ære perennius*, *Regalique ſitu pyramidum altius, Quod non imber edax, non aquilo impotens, poſſit diruere, aut innumerabilis Annorum ſeries & fuga temporum*, imo qui neſciat maius nihil in rebus humanis extare poſſe. Nam ſi ab ineunte ætate ciues ad verum cultum Numinis, ad ſapientiam, ad virtutem denique omnis generis inſtituuntur & educantur, ſi illorum vnuſquiſque ſe potius ipſum quam quiduis aliud dedicat patriæ, tanquam viuum aliquod donarium & ſpirantem pietate ac virtute imaginem, quid quæſo maius aut ſublimius, quidue diuiniureſpublica poſſidere aut à Deo Opt. Max. precari vel impetrare poteſt? Tantum eſt beneficium, Sereniſſime Princeps, cujus Serenitatis T. nunquam ſa-

tis

tis laudatus Avus auctor nobis est, quod Serenissimus Pater omnibus modis cumulauit, T. vero Serenitas hodieq; conseruat clementissime. Quo cui frui contigit vnquam, nec id agnoscit tamen & prædicat, eum extremæ ingratitudinis notam effugere non posse certum est. Equidem id operam maximam semper dedi, vt grati animi mei signa extarent apud omnes. Ipsi autem Serenitati T. publice gratias agere non ausus sum hactenus: nec enim vel illa temere compellari à me debuit, vel ita mihi placere studiorum meorum primitiæ, vt non ipsam potius, quæ in herba adhuc est, messem expectarem, & maturius quicquam consecrarem Principi meo. Verum quia timui tandem, ne dum differo nimis diu quod facere me partium mearum omnino erat, eo grauius peccarem, obferre Serenitati T. vel hoc parvum disputationum philosophicarum volumen interea volui: nec enim in promptu nunc aliud erat. Et vero etiam in opusculo tam tenui, vt videbitur, operæ aliquid positum à nobis est, nec id frustra, vt mihi persuadeo. Cum enim publice intersit, vt paullo accuratius, nec

ita

ita ad oſtentationem tantum, quemadmodum hodie fieri plerumque amat, doctrina de virtute deque omni vita recte & honeſte inſtituenda addiſcatur, operæ precium certe fuerit cum cæteros philoſophos, qui eam tradiderunt, tum præcipue eorum principem Ariſtotelem nunquam de manibus deponere, quem de vitæ honeſtate deq; morum virtute omni, quæ quidem natura duce parari poteſt, *adeo erudite ſcripſiſſe, nihil vt requirendum ſit amplius*, fatentur etiam doctiſſimi quique theologi, imo ipſa apologia confeſſ. Auguſtanæ teſtis eſt. Ei ergo rei nos operam hanc deſtinauimus, contractis in paucas diſputationes illis omnibus quæ fuſe apud philoſophum pertractantur. Complexi ſane hæc eadem ſunt etiam alij, viri doctiſſimi, epitomis ſuis: ſed illæ ita compoſitæ non ſunt, vt materia eſſe poſſint iis, qui in diſputando exercere ſe volent. Nos vero eo potiſſimum fine noſtra ad nobiliſſimorum & ornatiſſimorum aliquot juuenum petitionem conſignauimus. Quod ſi Serenitas T. qua eſt heroica & regia benignitate in litteras, tanquam ſummus noſter εὐεργέτης καὶ βραβευτὴς

βευτὴς hoc & reliqua ſtudia mea clemen- tiæ ſuæ aura proſequi & prouehere di- gnetur, annitar ξυν θεῷ παλάμᾳ vt eidem aliquando meliora iſtis conſecrem. Fa- ciet autem illa hoc ſpero, idque quanta queo animi ſubjectione peto & oro. Vi- uat, floreat Serenitas T. bonoque patriæ imperet diu ac feliciter. Helmſtadij in illuſtri academia IVLIA Kal. Decembr. cIↄ Iↄ cXVII.

Serenitatis T.

Conradus Horneius Brun- ſuic. phil. & opt. artium magiſter.

LECTORI
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ STVDIOSO IN ILL. ACAD. IVLIA S.D.

CONRADVS HORNEIVS Brunsuicensis.

Magna semper fuit, & orta cum ipso, pœne dixerim, homine quæstio de vitæ nostræ summo bono & beatitudine: quæ quanquam à sapientibus decisa pridem est, vt hodie non sit, quod sciam, qui contra disputet, re tamen ipsa etiam nunc in diuersissimas partes hic iri, quis tam imperitus est quin videat? Neq; vero potuit hoc fieri aliter: ad bonum namq; suum cum res vnaquæq; feratur, non minus quam terra deorsum, ignis sursum tendit, non poterat non esse de eodem solicitus & homo, rerum ille omnium, quæ conditæ vnquam sunt, post cælestes genios pulcerrimus, & θειγκὸς *quidam, imo vniuersitatis totius compendium: certe oportebat ferri ipsum eo maiori impetu ad perfectionem suam, quo excellentiorem naturam cæteris sortitus fuerat. Et vtinam impetus iste ad quem*

debebat

debebat scopũm rapuisset quemq; nostrum, aut raperet, nihil vtiq; laboraremus. Sed hic hæsitatum fuit, & immane quam enormiter à plerisque erratum. Excipe enim preclaram illã primorum nostri generis parentum conditionem quæ, malum! tamen vix iis obtigerat, quum sponte sua illi eam perderent, & nostrã, si modo ad oracula cœlestia componere nos & nostra serio velimus, fateamur necesse est, accidere nobis id quod robusto corpori oculis capto: vt n. illud quo roboris plus habet eo longius in auia pergit: ita & eos sæpissime quo maiori studio contendimus ad ea quæ in vita putamus bona esse, hoc magis à vero bono recedimus. In causa est, quod, vt Poeta canit, Omnibus in terris, quæ sunt a Gadibus, vsque Auroram & Gangem pauci dignoscere possunt Vera bona atque illis multũ diuersa, remota Erroris nebula. *Non dicam nunc quam nihil intelligamus in iis quæ eo nos ducunt vt post hanc quoque vitam nobis & animæ nostræ, quam funeri superesse omnes vel barbaræ gentes sciunt, æternum bene sit: hic enim nisi Deo ipso doctore & facem prælucentibus sacris literis utamur, frustra omnino sumus. Tãtum de mortali hac & caduca vita loquor, quam quotusquisq; quæso, sic instituit, vt secundum suam ipsius saltem naturam viuere recte videatur?*

ita

ita aut animi prauis opinionibus imbuti sunt, aut alias lubidinibus non carent, *vt cum meliora videant, sæpe quoq; probent, ad inclinantem tamen parietem se plerumq; applicent. Disce hoc non ex nobis, sed ipso, si placet, philosophorum apud Romanos principe: cuius hic verba facere non possumus quin mutuemur. Ridebis aliquos tantum abdomini suo natos, quosq; infra brutas etiam pecudes animi impotentia eousq; abiecerit, vt cum* vna sylva, *dicente eo quem iam laudauimus*, elephantis plurib. sufficiat, isti vix terra pascantur & mari, *miserosque se putent*, nisi super mensam omnium gentium animalia recognoscant. *Sunt alij quos alia lubido istis meliores esse non sinit, imo ineptos totos concinnat, ita vt ne viros quidem se esse amplius meminerint.* Hi vel de singulis capillis in consilium eunt, irascuntur vbi in ijs negligentior fuit tonsor, aut aliquid extra ordinem jacuit, imo malint remp. turbari quam comam suam. *Neque minus inepti sunt, qui vel in re facienda totam vitam occupatam habent, vel ambitioni suæ nullum statuere modum possunt, vt ut seria cumprimis agere videri vtriq; velint: namq; & illi* vitam transeunt, dum ei instrumenta conquirunt: *atque hos (verba sunt eiusdem, quem ante*

te diximus, philosophi) quum in consumma-
tionem dignitatis per mille indignita-
tes erepserint, misera tandem subeat
cogitatio oportet, laborasse se in titu-
lum sepulchri. *Tot modis & pluribus in vita*
erratur. Cui malo post S. Theologiam sola phi-
losophia, & præsertim practica, medicinam fa-
cere potest, & facere vtiq; si omnes recte eam
coleremus, id est, non accurate solum discere-
mus, sed & vitam ad illius præscriptum compo-
neremus: alias enim exclamat iterum ille no-
ster, quorsum est istorum studiorum va-
na ostentatio, aut quid prosunt nihil so-
nantes literæ? *Mihi profecto sic ista philoso-*
phiæ pars arridet vt cum semel atque iterum
tradita à me sit in hac academia, denuo eam ex-
plicare & disputare velim, si sint qui adiungere
iisse cupiant, quibus operam hanc nostram pro-
misimus. Hoc autem scire nunc vos volui: qui-
bus animus est decurrere tam pulchrum cam-
pum nobiscum, ii a. d. Martis in Museo meo ad-
erunt. Vale lector P.P. in inclita
Iulia XV. Kal. Quinct.
cIↄ Ic. XVII.

Dispu-

DIS

ATVRA,

instrumen

b. HENRIC

Fra

TH

DIsput
volent
priore
parten
libris
qum ad rem ipsam
fe censemus, si in
itrumentis, breui

II. Quibus rect
si quasi fonte arce
filior erit in cæte
et philosophiæ in
q*dem humana ind*
& præstantia.

III Etsi dubita
quid sit philosophi
mes scire desider
animum videri v

IV. Est autem p
idicat sapientię st
uare animi perfe

V. Animus po
cem edimur,

DISPVTATIO
De
NATVRA, PARTIBVS ET instrumentis Philoſophiæ.

Reſp. *HENRICO WESENBECYO Francofurtenſi.*

THESIS I.

DIſputandū propoſituri, Deo volente, doctrinam Ethicam, priorem Philoſophiæ practicæ partem, vt ea X. ad Nicomachum libris tradita eſt ab Ariſtotele, ante quam ad rem ipſam accedamus, operæ pretium fore cenſemus, ſi in genere de *philoſophia*, eiuſque inſtrumentis, breuiter aliqua præmittamus.

II. Quibus recte hoc loco conſideratis, & à ſuo quaſi fonte arceſſitis, non tantum progreſſus facilior erit in cæteris, ſed manifeſta quoq; euadet philoſophiæ inter *reliquas diſciplinas omnes, quæ quidem humana induſtria inuentæ ſunt, ſumma dignitas & præſtantia.*

III Etſi dubitare de hac nemo poteſt, qui quid ſit philoſophia intelligat, cum natura omnes ſcire deſideremus, & boni quoque eſſe vel minimum videri velimus.

IV. Eſt autem philoſophia, vt nomen etiam indicat ſapientię ſtudium. Sapimus vero animo: quare animi perfectio ſit neceſſe eſt.

V. Animus porro noſter, cum primum in lucem edimur, potentiā tantum ad illam ſui

perfe-

perfectionem habet, & vt dicebat philoſophus, *tabulæ nudæ inſtar eſt, cui inſcriptum nihil dum eſt, etſi inſcribi quiduis poteſt.*

VI. Vt igitur perfectionem conſequatur potentia illa in actum deducenda eſt: deducitur autem habitibus.

VII. Habitus hi duûm ſunt generum, alij principales, alij inſtrumentales: inſtrumentales dicuntur, qui cæteris pro inſtrumentis ſunt: principalium triplex differentia eſt: quidã enim dirigunt effectionem rerum, quam ποίησιν vocant, eo potiſſimum fine, vt indigentiæ corporis ſubueniatur, quidam actionem, ſeu πρᾶξιν, vt gerantur in vita quæ honeſta ſunt: quidam deniq; in ſola rerum contemplatione occupati ſunt & acquieſcunt.

VIII. Soli autem principales proxime & per ſe animum perficiunt: inſtrumentales enim non niſi propter illos ſunt, atque eatenus tantum & ipſi ad perfectionem noſtram aliquid conferunt, quatenus illis eorum miniſterio opus eſt.

IX. Neq; tamen principales omnes in eundem cenſum veniunt, cum ij, qui effectioni præſunt, corporis vſibus præcipue deſtinentur, vt diximus.

X. Relinquuntur ergo illi habitus principales, qui contemplationem & actionem dirigunt. hi enim duas præcipuas animi potentias, quæ perfectione maxime opus habent, perficiunt, intellectum & appetitum ſenſuum.

XI. Et hi ſunt, quibus illa, quam diximus, ani-

animi perfectio absoluitur, & ex quibus sapientiæ studium constat.

XII. Vt ita sit philosophia, si recte & proprie loquaris, nihil aliud quam habitus mentis, (ex pluribus enim illis habitibus vnus hic componitur) industria nostra acquisitus, quo contemplamur ea, quæ contemplanda Deus in hac rerum vniuersitate nobis proposuit, & vitam secundum rectæ rationis normam & honestatem instituimus.

XIII. Propter hæc enim duo homo natus est, & in tam pulcro hoc mundi quodam quasi theatro constitutus à patre omnium: & vtroque nomine à cæteris animantibus differt, vereque accedit ad ipsos cœlestes genios.

XIV. Loquimur tamen de ijs omnibus, quoad naturali lumine rationis inuestigari ab hominibus potuerunt: & ideo diximus habitum esse philosophiam nostra industria acquisitum: nam quæ præterea, quæ docet nos ratio nostra, patefacta à Deo opt. max. sunt generi mortalium, ad sublimiorum disciplinam pertinent.

XV. Hæc est natura & definitio philosophiæ, si rem verbo exponere velis: qua intellecta de partitione quoque eius nulla difficultas est.

XVI. Cum enim, vt patuit, duas diuersas animi facultates perficiat, facere id non potest, nisi duobus diuersis habitibus: namq; & objecto hi different, & fine: vnde etiam modus procedendi diuersus erit.

XVII. Obiecto quidem differunt, quod habitus is, qui in rerum contemplatione versatur,

objectum æternum & immutabile requirat, alter vero, qui præter cognitionem actionem quoque eamque præcipue spectat, mutabile, & ita comparatum, vt ab ipso conformari & dirigi, vt velit, possit.

XVIII. Fine autem, cum alterius finis sit sola cognitio & contemplatio, alterius non tam cognitio, quam conformata juxta cognitionem actio.

XIX. Quæ differentia tanta rationem quoq; procedendi, siue modum tractandi, eundem esse non patitur: alia enim via rerum scientiam per suas causas acquirimus, & alia indagamus ex cognitione finis, qui in actione consistit, media, quibus actio absolvitur.

XX. Hinc ergo duæ partes philosophiæ constituuntur, quarum vna in sola rerum contemplatione versatur, & ideo Græco nomine theoretica dicitur, altera in actione consistit, & practica vocatur.

XXI. Cæterum vtraq; pars rursus dividitur: cũ enim theoretica pro objecto habeat omnes res quas contemplamur, pro diversa earũ consideratione diversæ quoque & distinctæ sunt scientiæ.

XXII. Et primo quidem cum Enti in generalissimo conceptu, sive vt Ens est, competant affectiones quædã, quæ cognosci de eo possunt, eius vniuersalis est scientia, sapientia alias dicta, propterea quod non tantum affectiones proprias de isto subjecto per proximas causas demonstret, sed in ipsa quoq; principia inquirat.

XXIII. Sa-

XXIII. Sapientia enim eſt habitus ex intellectu & ſcientia compoſitus, quorum hæc affectiones per principia cognoſcit, ille habitus ipſorum principiorum eſt, ſiue is, per quem principia cognoſcuntur.

XXIV. Namq; & principia tam theoretica quam practica habitu aliquo cognoſcenda ſunt: neq; putandum cum illa innata nobis eſſe vulgo dicantur, propterea ita dici, quaſi ſtatim, atq; in lucem venimus, eorum cognitione præditi ſimus. Sed ita res ſe habet: naturalis potentia in animo, quæ iſta principia reſpicit, ita comparata eſt, vt levi negotio, quum obiecta animo offeruntur, in actum deducatur, id eſt, animus quam primum terminos ſimplices iſtorum principiorum percepit, componat eos, & de veritate cõpoſitionis certus fit ſine præcedenre diſcurſu rationis, qui ad aliorum cognitionem requiritur.

XXV. Sic quamprimum didiciſti, quid diceretur *bis*, quid duo, quid quatuor, cognouiſti bis duo eſſe quatuor, & ſtatim atq; nouiſti, quid dicerentur parentes, quid colere, ſciuiſti, parentes colendos eſſe. Et tamen neutrum eorum ſtatim quum natus eſſes, cognitum tibi fuit. cum fieri non poſſit, vt de veritate compoſitionis terminorum ſimplicium conſtet prius, quam ipſi ſimplices termini animo percepti ſint.

XXVI. Addiſcuntur igitur etiam ipſa principia, quanquam leui negotio, & nobis fere non anim aduertentibus. Quare eorum quoque

habitus aliquis eſt: quem Ariſtoteles, cum alio vocabulo deſtitueretur, intellectum appellare voluit, accommodato nomine ipſius potentiæ intelligendi vni habituum, quibus potentia illa perficitur.

XXVII. Sed redeamus vnde abiimus. Diximus, ſcientiam, quæ eſt de Ente vt Ens eſt, ex ſcientia & intellectu compoſitam eſſe, & propterea ſapientiam vocari. Eadem hæc alias Ariſtoteli dicitur τὰ μετὰ τὰ φυσικά, vulgò metaphyſica quia phyſica ſublimior eſt, & prima item philoſophia, quod cæterarum ſciētiarum princeps ſit, cum propter communitatem ſubjecti, tum propterea quia principia ipſa cognoſcit, & ea reliquis ſcientiis confirmat.

XVVIII. Et hæc eſt vna ſcientia, quæ, quia Ens in vniverſali conceptu pro objecto habet, ſola eſt vniuerſalis: cæteræ particulares ſunt, & vnaquæq; earum tantum Entis particulam quandam abſcindit, quam conſideret.

XXIX. Quarum diſtinctio vt intelligatur, ſciendum eſt: primo, quicquid cognoſcitur præter ipſum & in genere, id eſſe vel ſubſtantiam vel accidens: deinde, accidentia non cognoſci niſi in ſubſtantia, exceptis illis, quæ quantitatis affectiones ſunt.

XXX. Vnde manifeſtum eſt, præcipue ſubſtantias cognoſcendas eſſe, & harum diuerſam conſiderationem parere diuerſas ſcientias.

XXXI Subſtantiæ autem ſunt vel corporeæ, vel incorporeę. Corpoream conſiderat phyſica, incr poream ſcientia quam de immateriatis

pecu-

peculiarem constituendam esse recte docuit Pererius.

XXXII. Etsi enim horum θεωρίαν metaphysicis adjũxit Aristoteles, quod pauca esse videret, quæ de ijs cognita nobis essent: tamen quia est hic peculiare objectum scibile, idque toto genere à cæteris diuersum, adeoque nobilissimũ, esse quoque scientiam eius peculiarem oportet, vt ex Logicis intelligitur.

XXXIII. Hinc duæ sunt scientiæ particulares, quibus additur tertia de illis accidentibus, quæ affectiones quantitatis esse diximus: hæc enim quanquam & ipsa non sunt nec esse possunt extra substantiam tamen sine ea cognoscuntur, cum primum eorum, vt vocant, susceptivum siue πρῶτον δεκτικὸν, respectu cognitionis, sit quãtitas, aliorum quidem vniuersa in genere, aliorum sola continua, siue magnitudo, & aliorũ deniq; sola discreta siue numerus: omnia enim, quæ his competunt, mediante quantitate accidunt corporibus.

XXXIV. Dicitur autem scientia ista mathesis, & partes eius sunt geometria & arithmetica, quarum hęc numerum considerat, illa magnitudinem. Addi debebat tertia, ad quam pertinerent, quæ magnitudini & numero communia sunt.

XXXV. Porro, quia accidentia, quæ rebus propter quantitatem competunt, etsi primo cognoscuntur extra substantiam & materiam, tamen etiam in materia considerari possunt; si af-

fectiones, quæ in geometria & arithmetica de quantitate demonstrantur abstracte, eadem post etiam in materia considerentur, & abstracte cognita materiatis applicentur, oriuntur disciplinæ mixtæ ex mathematica & physica, quæ mathematicis subalternari dicuntur.

XXXVI. Subalternari enim est, si quæ in abstracto cognita sunt de quantitate ea ad materiam transferantur, eique, vt diximus, applicentur.

XXXVII. Sic arithmeticæ subalternatur musica, & geometriæ optica, vtriq; logistica, algebra, astronomia &c. quæ enim arithmetica in numeris abstracte considerat, ea contemplatur musica in numero sonorum, quæ geometria in linea abstracte, ea optica in linea vt in visu posita est, quæ deniq; arithmetica & geometria abstracte, ea astronomia in motu corporum cœlestium, & ita deinceps res se habet in cæteris. Atque hæ sunt partes philosophiæ theoreticæ.

XXXV II. Practicam in vita honeste instituenda occupari diximus: in honestate vero vitæ consistit summum hominis bonum, quod is in ciuili societate consequi potest, vt suo loco explicabitur: Honestas vitæ actione virtutis constat.

XXXIX. Quod itaq; sit summum bonum, quid virtutis, quæque eius species, & quæ item illa, quib. ad summum bonum peruenitur, docet. Quæ si æque ab omnibus hominibus addiscerentur, non laboraretur. Sed neq; omnes ea discunt, neque si discant, agunt.

XL. Qua-

XL. Quapropter vt nihilominus tamen secundum virtutem viueretur, & vitæ felicitas, quoad posset, procuraretur, constitutę sunt resp. & societates ciuiles, (quibus natura etiam homo delectatur,) vt in his, qui virtute præstarēt, cæteris præessent, eosque & ipsos de virtute erudirent, vel legibus cogerent facere, quod vltro facturi non erant.

XLI. Hinc est, quod duæ sint philosophiæ practicæ partes, vna quæ de fine totius, & medijs, ad eum ducentibus, in genere disputat, altera, quæ, quid resp. sit, & quomodo summum bonum in remp. introducatur, exponit; illa ethica, hæc politica appellatur.

XLII. Quæ diuisio etsi à vulgari illa, qua in ethicam, politicā & œconomicam distribuitur, nonnihil abit, legitima tamen est, & ipsi quoque philosopho approbata.

XLIII. Habet autem se vt diuisio artis medicæ; hæc enim & ipsa diuiditur in duas partes, vnam, quæ agit de sanitate fine medicinæ, & remedijs in genere, quibus sanitas conseruatur vel reparatur, alteram, quæ in priore parte generaliter tradita ad specialiora accommodat.

XLIV. Nam, ne quis putet obstare œconomicam, quicquid de re familiari instituēda philolophia docet, id omne ad politicum spectat: tale enim est præsertim recte educare liberos, quod vt aliter atque aliter fit in alia atque alia rep. ita à politico doceri debet.

XLV. Hæc est philosophia, hæ eius partes, & partium subdiuisio.

XLVI. Instrumenta philosophiæ sunt habitus animi quos supra instrumẽtales vocauimus. Horum vnus præcipuus est, quo in omni veritatis cognitione opus est: cum enim, exceptis principijs, nihil cognoscamus tam in theoreticis, quam in practicis, nisi discursu id investigemus, discursus autem iste sæpe hallucinetur, nisi potentia naturalis habitu aliquo perficiatur, inuenta est disciplina, quæ intellectum in discurrendo dirigeret: hæc Logica vocatur.

XLVII. Alter politicæ tantum inseruit: nam cum politicæ vnicus finis sit salus reip. hæc vero non semper autoritate & legibus tantum conseruetur, sed sæpe, vbi ista media deficiunt, aliis medijs opus sit, politicus subsidium, vndecunq; potest, sibi comparat.

XLVIII. Neque enim populus hominum prudentum consilia semper capit vel pervidet, ac orta seditione autoritas & leges parum valent.

XLIX. Quapropter oratione in omnem partem comparata ad animos, quo velit, impellendos continere ciues in officio studet, & artis dicendi beneficio obtinet, quod è salute Reip. esse intelligit, obtinere autem legibus & autoritate tum non poterat.

L. Tertium denique instrumentum est, quo sermo, qui mentis interpres est, comparatur: & Grammatica dicitur.

LI. Atque ista sunt instrumenta, quibus philosophia opus habet. Annumerari ijs potest etiam ars poetarum: nam hæc quoque politicæ operam

operam egregiam præstat, quum hominum animos feros ad humanitatem & virtutis studium ducit, quo omnia poemata eximia & fabulę, tanquam ad finem referuntur: neq; enim delectare tantum, sed docere poetæ volunt, imo ideo delectare, vt doceant.

COROLLARIA.

1. *Vna tantum est scientia de substantiis incorporeis, vt vna etiam de corporeis, contra quam statuit Pererius.*

2. *Philosophia moralis omnino recte tradi non potest alio ordine, quam analytico, & absurde fecit Picolomineus, quod ordinem syntheticum ei accommodare voluit.*

3. *Nullum instrumentum rei alicuius pars eius esse potest: quare neq; Logica inter partes philosophiæ recensebitur, nisi impropriè loquaris.*

DISPVTATIONVM ETHICARVM I.

DE SVMMO BONO SEV FELICITATE CIVILI,

Ex I. lib. Ethic. Ariſtot.

R. BERNHARDO SVTHOLT weſtphalo.

THESIS I.

QVid ſit & quare inuenta philoſophia practica, cujus partem eſſe diximus Ethicam, ex ijs quæ ſuperius de vniuerſa Philoſophia in genere diſputata ſunt, manifeſtum eſt.

II. Hoc ſcilicet agit, vt vivat homo, ſicut vivere ipſum decet, atque hoc modo vitæ hujus, quoad fieri poteſt, ſummo bono & Beatitudine potiatur ac perfruatur.

III. Quem cum conſtituerimus philoſophiæ practicæ finem, oportet vt in eius veſtibulo non tantum conſideremus accurate, in quo beatitudo illa conſiſtat ſiue quidnam ſit, ſed etiam id paucis prooemij loco oſtendamus, quod reuera ſit aliqua, quodque huc omnino pertineat eam explicare, neque nō & illud, & quomodo tractāda hæc philoſophiæ pars ſit, & qualem auditorem requirat.

IV. Ita namque in diſciplinis omnibus, quæ alium finem quam nudam rei cognitionem ſpectant, comparatum eſt, vt primo omnium de illo

ſine ſolliciti eſſe debeamus, deinde vero & ſecundo loco de ſubjecto ſiue objecto diſciplinæ, ac denique de mediis, quibus ad finem perveniendum eſt, vt in doctrina Logica oſtenditur.

V. Vt autem ſciamus eſſe revera vitæ aliquod ſummum bonum, hypotheſes duæ hic accipiendæ ſunt, de quarum veritate nemo dubitare poteſt.

Cap I.

VI. Primo enim, omnis ars & methodus ſiue diſciplina, omnis item actio & προαίρεσις propter bonum aliquod eſt, idque finem habet.

VII. Deinde cum diſciplinæ illæ & actiones multæ ſint neceſſum eſt fines quoque non vnius eſſe generis, & quidem alios aliis præſtantiores, prout diſciplinarum quoque vna altera eſt præſtantior.

VIII. Quemadmodũ enim diſciplina quæque propter quam diſcipina alia eſt, ipſa potior eſt, ita quoq; finis fine nobilior, & nobiliſſimus eſt ſi omnium qui diſciplinæ item nobiliſſimæ eſt ſiue ad quem referuntur omnes cæteri.

Cap II.

IX. Quæ cum ita ſe habeant, manifeſtum eſt, ſi in rebus quoque humanis finis aliquis eſt, ad quem in vniuerſum omnes actiones omniaque ſtudia noſtra referuntur, quique propter ſeipsũ & non alium ſit & expetatur, imo talis ſit, vt propter ipſum ſint cæteri, eum & optimum eſſe & ſummum in vita bonum.

X. Eſſe

X. Esse vero huiusmodi finem oportet, neq; possunt fines omnes propter alium aliquem esse: nam frustra alias boni appetitus nobis à natura inditus esset, procederetur quippe in infinitum, neq; esset appetibile, in quo appetitus naturalis tandem acquiesceret. Est ergo summum aliquod bonum.

X. Cæterum consideratio hujus, vt maxime necessaria est, ita pertinet quoque ad cæterarum disciplinarum, quæ vitam nostram informant, omnium principem, ϗ μαλιϛα ἀρχιτεκτονικήν: cujusmodi politica siue ciuilis scientia est: politicæ enim vocabulum hoc loco pro tota philosophia morali cum Aristotele accepimus.

XII. Hæc enim cæteris omnibus imperat: cuius signum est quod ei subsunt etiam præstantissimæ alias habitæ, œconomica, rei militaris scientia, & ipsa oratoria.

XIII. Ipsa itaque summum illud bonum hominis considerat, cum idem sit vniuscunque hominis, quod est totius alicujus societatis ciuilis bonum: etsi præclarius & diuinius est, si vniuersam civitatem beet, quam si vnus aliquis eo potitus fuerit.

CAP. III.

XIV. Traditur porro hæc philosophiæ pars pro subjectæ materiæ conditione, ita vt in ea de rebus quæ multis modis mutabiles sunt sæpe non nisi probabiliter & populariter disputetur: nam demonstrationibus hic, qualibus in scientiis, locus non est, cum ἀκρίβειαν quærere in ijs,

quæ

quæ ipſam ſua natura reſpuunt, non tantum non operæ precium, ſed quoq; ineptum ſit.

XV. Etſi enim vniuerſaliorum in practicis quoq; cognitio certa eſt, tamen eorum quæ magis particularia ſunt, cum ob circumſtantiam leuiſſimam mutentur, cognitio non niſi probabilis eſt.

XVI. Auditor deniq; idoneus huius doctrinę non eſt adoleſcens, tum quod vitæ hominum imperitus ſit, tum quod affectibus potiſſimum ducatur: vbi tamen adoleſcentem intellige, non qui is eſt ætate & annis, ſed qui ingenio ac moribus, quorum enim adoleſcentiæ bona educatio non defuit, quiq; ſubacto nonnihil animo jam ſunt, ij non tantum hinc non arcendi ſunt, ſed maxime omnium inuitandi ad iſta ſtudia.

XVII. Atque hæc procemij vice dicta ſunt: nunc ad inſtitutum noſtrum proprius accedamus, & quidnam ſit ſummum vitæ bonum inveſtigemus.

CAP. IV.

XVIII. Vbi obſerua, ~~ne~~ nomine quidem & vniuerſali eius notione quadam omnes mortales conſentire: eſſe enim quod quærimus beatitudinem & felicitatem, eſſe id, ſi bene quis ac beate vivat, nemo non intelligit.

XIX. At de re ipſa & in qua re conſiſtat illud beate viuere, ſunt & fuerunt ſemper diuerſæ diuerſorum opiniones, imo quidam ſibi ipſis non conſtant: ex quibus præcipuæ & quarum aliquæ rationes eſſe videntur, (cæteras enim nec libet, nec opus eſt) examinandæ hic nobis ſunt.

XX. Quod

XX. Quod vt recte fiat & nobiscum vnusquisque faciat, oportet quemque nostrum ita comparatum esse tum natura tum aliqua adsuefactione, vt saltem communia illa principia quæ de vita recte instituenda omnibus hominibus pœne ingenita sunt, vel habeat jam vel ab alijs accipere facile possit. nam quibus illa quoq; desunt, ij neque de hac re, neque in vniuersum de vita aliquid judicare discent: ipsam enim naturam hominis exuerunt.

CAP. V.

XXI. Sed quod diximus agamus. Haurit autem vnusquisque opinionem suam de summo bono plerumque ex genere vitæ quod ipse sectatur. Genera vero vitæ tria sunt præcipue, id quod vulgus colit, ciuile, & contemplationi deditum.

XXII. Vulgus quidem & ineptissimi quique voluptates pro summo bono habent, earumque mancipia sunt: pecudum sane vitam non hominis, hoc tamen nomine commendatam, quod multi illorum etiã qui magnæ dignationis sunt & potestate præditi idem faciunt: hoc enim vulgus suspicit & imitatur.

XXIII. At qui politiores sunt, & ad res gerendas studium suum conferunt (πρακτικοὺς vocat Aristot.) felicitatem in honore positam esse putant: hic enim fere ciuilis vitæ finis habetur. Sed & hi aberrant: cum enim felicitatem oporteat proprium quiddam esse, & tale vt facile auferri nequeat, sicut cuique conijcere licet, honor in iis potius est qui eum aliis deferunt quam quibus defertur. Adde quod omnes illi honorem per-

sequi

sequi videntur ideo vt opinionem aliquam de virtute sua apud alios, præsertim homines prudentes, concitent; quo pacto ipsi virtutem honori præferunt. Non ergo in honore felicitas sita est.

XXIV. Verum neque ipsa virtus summum bonum dici potest, si forte hanc honori substituẽdam quis putet: est enim imperfectius quiddam, quam vt collocari isto fastigio queat, cum fieri possit, vt is qui virtutem possidet aut dormiat tota vita, aut nihil quicquam præclari agat, & præterea maximis adversitatibus fortunæ perpetuo jactetur cujusmodi certe hominum nemo felicem dixerit.

XXV. De vita autem quæ contemplationi vacat alia quidem ratio est, sed ea ad hunc locum non pertient, vt in disputatione præliminari ostendimus, neque enim rerum mortalium & ciuilis vitæ sed diuinum quoddam bonum persequitur.

XXVI. Porro nec vita quæ rei faciendæ & opibus cumulandis incumbit optima esse potest: violenta enim est & cum aliorum injuria sæpe conjuncta, imo ipsæ diuitiæ propter aliud sunt & ob vsum suum expetuntur. Non ergo hæ summum bonum erunt, cum neque ea omnia quæ propter se expetuntur, nomen hoc mereantur, vt de voluptate liquet.

Cap. VI.

XXVII. Sed relictis his opinionibus, ad aliam accedamus, quæ à summis philosophis proposita & defensa olim fuit, & in vniuersali natura, siue

siue vt illi vocabant, idea boni felicitatem vitæ collocat.

XXVIII. Hæc est Platonis, quiq; eum sectantur. Sed non vno modo falsitatis arguitur: primo enim non datur ejusmodi communis boni siue eorum quæ bona sunt natura, deinde vt ut daretur huc nihil facit.

XXIX. Non datur: nam primo juxta Platonem non est vna idea eorũ quæ secundum prius & posterius dicuntur: hanc enim ob causam in numeris illam reperiri negat. Bonum vero ita dicitur, cum & substantiis, & qualitati, & quantitati, & relationi &c. competat; de quibus profecto aliter nihil dici potest.

XXX. Secundo, Bonum æque late patet atq; Ens. At Entis non vna natura est, sed per plures categorias dispersa. Quare nec bonorum vna erit.

XXXI. Tertio quæ vnam ideam habent, eorum secundum Platonem vna item scientia est, cum tamen Bonum non tantum ad plures scientias pertineat, sed vnum etiam eorum à pluribus tractetur. Ita occasio bonum quid est, quod curæ est tam arti militari, quam medicinæ, vtraque enim eam diligenter observat.

XXXII. Quarto ipsi Platonici videntur sibi non constare, quũ ideam illam esse rerum *ipsum quidq;* siue αὐτὸ ἕκαστον dicunt, vt ipsum honorẽ, ipsum æquum & bonum & similia. An enim hoc pacto differentiam ostendent inter ideam & rem cujus idea est? Non possunt vtique, dum eadem natura sit ac definitio tam hominis quam ipsius illius

illius quod eſt homo: vtrumq; enim ſi definias velis, dices animal rationale eſſe. Ergo nec αὐτοέκαστον illud peculiare quidquam erit præter res ipſas quæ ſunt ipſum illud.

XXXIII. Neque eſt quod obijciat quis in eo differre, quod res in ſe ſint aliquid caducum & mortale, ipſum autem quod quæq; earum eſt perpetuo manere, ſicut Petrus moritur, ipſum autem quod eſt Petrus, homo puta, nunquam eſſe deſinat: nam eſſentiam rei non variat diuturnitas durationis eius: ecquis enim album quod vnum diem album fuerit, minus album dicet quam quod aliquot ſeculis tale fuerit, ideo quod huius albedo diutius quam illius durauerit?

XXXIV. Sed hic aliud obijciunt, eſſe quædam per ſe bona, quædam per accidens, & illa non hæc à ſe intelligi. Ad quod tamen itidem facilis reſponſio eſt: nam vt remotis bonis per accidens, de ijs quæ per ſe talia ſunt loquamur, quæro, putentne eſſe ſolas ideas bona talia, an præter eas alia etiam, qualia ſunt ſapere, videre, nonnullæ voluptates &c. Si prius dixerint, ideæ erunt res inanes & exemplaria eorum quæ nihil ſunt: ſin poſterius, iam illorum vna idea non eſt: neque enim vt vna ratio eſt albedinis in nive & ceruſſa, ita & boni in ſapientia, viſu, voluptate &c. ſed hoc vel æquiuoce dicetur de iis, vel ſecũdum prius & poſterius; illud fieri nequit, hoc vero non patitur vnam ideam boni eſſe.

XXXV. Et hactenus oſtendimus non poſſe eſſe eiuſmodi ideam boni, qualem Plato ſtatuit,

Nunc porro docebimus, quod etiamſi ponas eſſe poſſe, nihil tamen ad felicitatem vitæ ciuilis collatura ſit.

XXXVI. Eſt autem nihil certius quam ideam illiuſmodi, ſi ſit, non eſſe poſſe quidquam quod agi queat aut acquiri ab homine, ſed tantum quod liceat contemplari. At quid contemplationi commune cum eo, vt feliciter in vita agas & rem quam optime geras? Dices forte, exemplar erit, in quod intuentes viuamus quam rectiſſime. Sed neque id ad rem quidquam: nam ſi operæ pretium eſſet hoc facere, vtiq; non negligeret idem vniuerſa artificum natio. Atqui nemo eorum hoc requirit; & ſane cur requirerent? an enim faber hoc rectius fabricabit, textor texet, dux belli aut medicus peritior euadet, ſi naturam Boni accurate cognitam, vt primus philoſophus, habuerit, eamq; contemplatus ſit. Non puto: certe tantum abeſt, vt communiſſimam Boni naturam & ideam contempletur medicus quum ad curandum morbum accingitur, vt nec tam ipſam ſanitatem in genere, quam ſanitatem huius aut illius indiuidui conſiderare neceſſum habeat: & ſimilis ratio eſt in artibus quoque cæteris. Sed de idea Platonica hæc dicta ſint.

XXXVII. Atq; hæc ſunt præcipuæ opiniones, quæ examinandæ nobis fuerunt: quas cum deprehenderimus omnes falſas eſſe, conſequens iam eſt, vt tandem quænam vera ſit inquiramus.

CAP. VII.

XXXVIII. Quam ad rem opus est, vt in mentem hic quisque sibi revocet, quærere nos non simpliciter bonum aliquod sed summum bonū, idque hominis, siuè tale quod homini proprium sit: hæc duo enim si obseruauimus, facile se ostēdet quod vestigamus.

XXXIX. Primo enim si est summum bonum quod quærimus, erit perfectissimum quiddam, & propter se ipsū non propter aliud expetibile; omnia enim propter illud in vita fieri necesse est.

XL. Erit porro αὐταρκὲς ipsumq; sibi sufficiet, non quidem vt solitarium quenquā & sibi soli vivere faciat; natura enim homo societate civili gaudet, sed vt etiam absq; alijs rebus vitam reddat optabilem & nullius indigentem.

XLI. Neq; hic obstat quod præstabilius euadat, si cum alio bono conjungatur: tum enim ibi cumulus aliquis bonorum est, neque si hic totus optabilior est quam vnum illorum seorsim sumtum, ideo bonum aliquod eodem præstantius esse censeri debet.

XLII. Deinde si hominis summum bonum est, jā in omnibus cæteris disciplinis & artibus perfectio vniuscuiusq; in munere aliquo & functiōe cuique propria consistit, sic & hic res se habebit.

XLIII. Fieri enim non potest aliter, quin sit hominis quoq; quædam ejusmodi functio peculiaris, cum sit tibicinis, statuarij, fabri, imo singularum corporis humani partium, manuum, pedum, oris &c.

XLIV. Hæc autem non erit eius facultatis qua ſimpliciter vivit homo: iſta enim & plantis communis eſt: nec qua ſentit: hæc namq; etiam in brutis eſt. Ergo ejus quę rationis particeps eſt, & juxta hanc agit, ſiue illa rationem ipſa habeat, ſiue ei tantum obædiat.

XLV. Ex his omnibus jam patet, quid reuera ſit illud ſummum hominis bonum, functio ſcilicet animi, & ea quidem ſecundum virtutem: ſecundum virtutem inquam: vnumquodque enim virtute ſua perficitur: quare & functio opt. erit, quæ ſecundum virtutem eſt, non quæ à ſola naturali potentia proficiſcitur. Adde præterea ſecundum optimam & in vita perfecta: nam ſi plures virtutes ſunt optima illarum huc ſpectabit. Vita autē perfecta inſuper requiritur, quod vna & altera dies aut puſillum tempus tantum homini bonum conciliare non poſſunt: vt enim vna hirundo non facit ver, ita nec derepēte quis beatus erit, vbi ſemel atque iterum rem recte in vita geſſerit.

XLVI. Tale quid ergo eſt felicitas, & ita deſcribi poteſt: cuius natura rectius etiam in progreſſu intelligeretur. Neq; neceſſum eſt, ſicut & initio dictum, rimari omnia hic accuratius, & vel ad ipſam naturam boni explicandam delabi vel τὸ διότι hic & cauſam quęrere, quare ſcilicet hoc, quod diximus, ſummum bonum ſit. namque illud non patitur inſtitutum noſtrum, quod cum reſpiciat πρᾶξιν, aliter longe de Bono diſputare debeamus, quam qui in theoreticis verſantur, plane vt & fabri angulum rectum multo aliter

quam

quam geometræ considerant: hoc vero nec fieri potest, & si posset, ineptè fieret, cum τὸ ὅτι hic sufficiat, imo scire tantum quod hoc vel illud finis quem quærimus, principij rationem in his talibus obtineat. Principia autem per caussam etiam alias non probantur, sed vel sensu, vel inductione, vel assuefactione addiscuntur.

CAP. IIX.

XLVII. Cæterum sententia hæc de felicitate vitæ humanæ vt verissima est, ita consentit quoque cum sapientissimorum quorumque hac de re judicio: illi enim vel idem statuerunt in vniuersum, vel saltem in multis dixerũt ei consentanea, vt proclive est intelligere, si opiniones eorum cum hac nostra contendantur: vero enim verum facile cõgruit, & quod falsum est ab eodem statim discrepat.

XLVIII. Primo enim cum bona omnia plerumque distribuantur in externa, ea quæ sunt animi & quæ corporis, intelligentissimi & vetustissimi quiq; vno ore bona animi cæteris præfecerunt: at nos palmarium functionibus animi deferimus, quæ vbi sunt nisi in animo, & quid aliud nisi animi bona?

XLIX. Deinde felicitatem dicunt esse bene vivere, bene rem gerere: quid ergo aliud quam optima vita, optima quædam functio & actio erit?

L. Porro alij eorum virtutem, alij prudentiam, alij sapientiam statuunt felicitatem esse & quidem hæc conjuncta cum voluptate esse vo-

lunt; vel ſaltem non ſeperata plane ab ea, quidam etiam cum externis & fortunæ bonis: omnia iſta recte quadam tenus.

LI. De virtute quidem prudentia & ſapientia liquet: virtutis enim actionem eſſe felicitatem diximus: tantum id intereſt, quod in habitu & poſſeſſione illi eam collocent, cum manifeſtum tamen ſit functionem ſiue actionem illis nobiliorem eſſe: nam penes quem habitus eſt, quique poſſidet virtutem, otioſus eſſe poteſt & nihil quicquam boni agere, quod de functione illius habitus abſurdum eſt dicere.

LII. Neque vero & voluptate aut jucunditate caret vita alia quam non felicem prædicamus, modo recta via rem reputes: nam volupe eſt cuique id quo quiſq; delectatur: actionibus autem virtutis delectatur quicunque ijs ſe adſuefecerit, imo nemo honeſtus aut virtutis ſtudioſus à quodam judicatur, qui ex rebus honeſtis & optimis voluptatem non capiat. Erit ergo & felicitas ea omnino non res optima tantum, ſed & pulcerrima ac ſuauiſſima: hæc enim non ſeparata, ſed conjuncta ſunt. Quanquam iſta eſt alia voluptas, quam cui vulgus inhiat, vera ſcilicet hominis & ſolida ac naturæ congrua cum altera illa eius ſpeciem tantum mentiatur atque vulgo imponat.

LIII. Poſtremo de bonis externis quoque nō plane abſurdi fuerunt; etſi enim in illis ipſa felicitas minime ſita eſt, carere tamen ijs hęc vel non poteſt, vel ægre admodū: cui namque nulla omnino fortunæ bona ſuppetunt, vix fieri poteſt vt ille

ille res cumprimis præclaras agat, cum multa geruntur, opera amicorum, diuitijs aut ciuili potentia & similibus, tanquam instrumentis quibusdam, ad quæ, absq; illis si sis, frustra adspires. Vnde etiam nata primum est sine dubio illorum opinio, qui ipsam felicitatem in bonis fortunæ collocant.

CAP. IX.

LIV. Et hactenus non tantum ex suis fundamentis ostendimus adeoq; ex ipsa rerum natura eruimus, quænam & quid sit vera vitæ felicitas, sed idem etiam veterum sapientum testimonio comprobauimus. Restat nnnc vt verbo id quoque declaremus, quomodo illa felicitas à nobis comparetur.

LV. Vbi quidem si caussam vniuersalem & remotam spectemus, facile constat, sicut omne bonum à Deo Opt. Max. hominibus datur, ita & hoc omnium bonorum præstantissimum nobis diuinitus obtingere.

LVI. Sed de hac caussa non est hic quæstio, verum de proxima, quam esse virtutem & doctrinam ac adsuefactionem statuimus: ijs enim adminiculis parari ab vnoquoq; mortalium potest, cuicunque non deest facultas naturalis aliqua, quæ ad parandam doctrinam & virtutem necessaria est. Nam fortunæ arbitrio tantam rem adeoque maximam omnium permittere, magnum profecto crimen sit, &, vt philosophus loquitur, λίαν πλημμελές.

LVII. Parari autem ita posse cum per se ma-

nifestum est, puta si quis periculum faciat, tum etiam inde, quod omnes rerum pub. principes id vno studio omnes operam dant, vt cives suos reddant quam optimos & ad res honestas agendas promptissimos; hoc enim frustra alias fieret.

LVIII. Hac ratione ergo consequi eam licet. Vnde iam id quoq; constat, felicitatem non cadere in vllum animal brutum: neque enim agere honesti quidquam potest, imo ne in pueros quidem: namque & hi ob ætatem ad actionem istam non sunt idonei, nisi forte propter spem, quam de puero concipias, beatum eum dicas. Sed & hæc fallere potest, cum non vna & altera talis actio sufficiat, sed vita integra & perfecta requiratur, vt suo loco diximus; multa autem accidere in ea possint, sicut Priamo Troianorum regi non regno & regijs opibus solum, sed numerosa insuper & heroica sobole florenti ante, in vltima tandem senectute euenit, vt & hac & illis misere spoliaretur, ac totum regnum etiam cum vita amitteret.

CAP. X.

LIX. Atq; hæc ita se habent. Verum enimuero quia dictum jam semel atq; iterum est, felicitatem nō obtingere nisi in vita perfecta, quæri hic jure merito potest, an igitur quisquam ante obitum suum & antequam vitæ spacium integrum decurrerit, recte dici beatus possit, an vero mors prius expectanda, vt prudentissimus Solon censuit.

LX. Ad

LX. Ad quod respondemus cum Aristot. Si intelligat quis quæstionem hanc ita, vt felicem quem esse putet tum quum jam mortuus est, absurde sine dubio id dici, cum felicitatē in actione sitā esse docuerimus, quæ nulla defuncti esse potest.

LXI. At hoc Solon, vt verisimile est, non voluit, sed prædicari eum tum demum felicē posse, tanquam extra omnem fortunæ aleam constitutum. Verum & hoc in dubium vocare licet: nam & ei qui defunctus vita jam est, videntur & bona & mala accidere adhuc posse: honorem enim vel ignominiam liberûm aut posterorum, res item secundas & aduersas eorum, nihil plane ad ipsum attinere ecquis dixerit? Sed quidquid hoc sit, id certe absurdum est, posse recte quenquam dici beatum fuisse, qui nunquam tamen dici potuerit beatus esse. Præsertim vero male fit quod eius causam assignat fortunam: à qua qui arcessit felicitatem is oppido errat, ut etiam ante diximus, & sane cum felicitas res stabilis & firma esse videatur, hic multis modis eam mutabilem facit ipsumque virum beatum chamæleonti similem: vt enim hic colorem crebro mutat, & idem tamen manet, ita iste idem modo beatus, modo miser erit. Adde quod etiam si hanc alias quoq; de beatitudine opinionem quisq; non haberet, ipsarum tamen quæ secundum virtutem sunt actionum hæc natura est, vt nihil inter res humanas sit æque constans, imo virtutes ipsis scientiis diuturniores sint: crebrius enim earum exercitium est.

LXII, Fortunæ autem bona & mala quæ obtingunt, si parua quidem sint vtraque parum momenti ad hanc rem habent, sin magna & multa, illa quidem ornatiorem reddent vitam & promouebunt præclara facta, hæc vero eandem in angustias redigent & ista impedient quodã modo, sed neque altera tamen felicem vitam, neque altera miseram efficient. Nam qui optime instructus à virtute est & consummatæ prudentiæ is nunquam quicquam aget odio dignum aut improbum, sed fortunæ casus animo generoso feret & nihilominus quæ pulcerrima sunt, quoad potest, semper aget, imitatus opt. imperatorem, qui si non potest eo exercitu quo velit, saltem eo quem præsto habet, belli cõsissime se gerit, vt & sutor bonus ex pellibus, quarumcunque copia est, semper calceum pulcerrimum facit.

LXIII. Quanquam nec hoc plane negare possum, posse incidere quem in tantas calamitates, vt, quamuis non miser fiat, recte tamen nec beatus dici amplius possit. Exemplo est, cuius supra meminimus, rex Priamus. Sed neque ita beatitudo est res facile mutabilis: difficulter enim hoc fit vt quis à tanto gradu felicitatis dimoveatur, sicut & qui semel eo pacto ad incitas redactus sit, nõ facile eo vnde cecidit pedem referre potest.

LXIV. Quamobrem, vt in pauca rem conferamus, felix quidem erit quis omnino, etiam vivus adhuc, cui aderũt quæ supra dicta sunt, & recte talis prædicabitur, sed ita tamen felix, vt esse homines possunt & rerum nostrarum conditio

ditio fert, in quibus ea etiam quæ alioquin conſtantiſſima ſunt,etſi raro, interdum tamen labefactari & mutari videmus.

Cap XI.

LXV. Et hæc de quæſtione, quam ſupra attulimus.Ex quibus decidi altera quoq; controuerſia poteſt, quæ mota fuit de poſterorum ac amicorũ fortuna, ecquid illa etiam ad maiores, parentes aut amicos pertineat,eorumque felicitatem augeat vel minuat? De qua ſtatuendum ita eſt,vtut pertinere ad defunctos ſuorũ fortunam negari non poſſit, tamen eam nec ita ad illos vt ad viuos pertinere, viuentibus enim an mortuis tale quid eueniat multum intereſſe quiſque intelligit, neque in vniuerſum eouſque, vt vel eos qui felices totam vitam exegerint, miſeros,vel qui miſere vixerint,beatos reddat: quod ſi enim vivis hoc à fortuna accidere non poteſt, ad quos tamen eius caſus magis attinent, vt ex felicibus miſeros, & ex miſeris felices faciat, neque defunctis euenire poterit.

Cap XII.

LXVI. Quæ omnia cum ita declarata ſint, nihil nunc reſtat quod de ſummo bono quæri amplius poſſit, niſi hoc tantum,ſitne ex numero earum rerum quæ laudantur, an quæ honorantur? Dicimus autem ex his eſſe: primo enim laudamus illa tantum quæ qualitate aliqua prædita ſunt ad quidquam agendum, vt virum juſtũ & fortem ob actiones iuſtas & fortes.

Deinde laudatio semper se habet ad aliquid, id est, laudantur ea quæ ad aliud aliquid conducunt, id autem quod in se optimum est & propter se expetitur admiramur potius & honoramus, vt res diuinas & Deum ipsum, adeoque omne quod summum & præstantissimum est. Quare & felicitas inter res honorabiles merito refertur. Hactenus de summo bono.

COROLLARIA.

Cap. 3. l. hujus in plerisq; omnibus interpretationibus Latinis perperam & nullo sensu legitur, honesta & justa tantam admittere διαφορὰν καὶ πλάνην, *vt non natura sed* lege *constare videantur. Peccatum autem est in voce* lege, *pro qua scribendum erat* opinione: *hoc enim eo loco significat Græca vox* νόμος. *Quæ significatio eius satis trita fuit veteribus philosophis illis qui omnia opinione hominum mensurari potius quam veri quidquam esse in rebus putabant: dicebant enim* νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ θερμὸν *pro eo quod opinione tantum nostra frigidum aut calidum esset &* νόμῳ χροιὴν, νόμῳ ὀδμὴν *pro colore & odore, qui esset opinione nostra talis, id est vocabãt* τὸ κατὰ νόμον τὸ τοῖς πολλοῖς δοκοῦν, *vt explicat Arist. in soph. elench. cap. 11. Eadem significatione vsurpatur ab Aristot. etiam alibi, vt 5. lib. eth. cap. 5. vbi etymologiam numismatis explicat (quanquam ibi quoq; interpretes lapsi sunt) & de eadem re iterum* Polit. 1. Neq; *alio sensu 8. Polit. opponit* τὸ νομικῶς διελεῖν τῇ ἀκριβολογίᾳ.

Dispu-

DISPVTATIONVM ETHICARVM II.

DE OBIECTO ETHICES ET DEfinitione virtutis moralis.

Ex I, & II. lib. Ethic. Aristot.

R. IOANNE DOLSCIO, Halberstadensi.

THESIS I.

FInem Ethices, summum vitæ ciuilis bonum & felicitatem, superiori disputatione explicauimus, nũc ad media quibus finis ille comparatur, conuertamur.

CAP. XIII. LIB. I.

II: Medium autem hic vnicum est virtus, & si quid cum ea coniunctum est: à sola enim hac virtutis actio, in qua sita est felicitas illa, proficiscitur.

III. Sed antequam de ea agere incipiamus, verbo dicendum etiã est de objecto circa quod tota hæc doctrina versatur: namq; & hoc omnino necessarium est: vt enim medicus, qui corpus curaturus est, corporis naturam & temperamentum ignorare non debet: ita etiam qui animo medicinam parat, animum cognoscat ante necesse est, idq; eo magis, quo ethica doctrina arte medica præstantior est.

IV. Neq; tamen exacta cognitione hic opus est, sed ea tantum quæ ad propositum sufficiat: ita

ita enim cum cognitione objecti & aliorum omnium, quæ propter finem quæritur, comparatum est, vt eatenus ipsa cognoscantur, quatenus fini illi inseruit eorum cognitio.

V. Id autem cum primis hic sciendum est, esse in animo nostro, vt in Physicis docetur (huc enim pertinent hæc, & inde petuntur) facultatem aliam ratione præditam & aliam rationis expertem.

VI. Ratione prædita est illa, qua res alias per suas caussas cognoscimus, de alijs agendis vel faciendis deliberamus.

VII. Quæ vero rationis expers est, ea communis nobis est non tantum cum brutis, sed etiam cum plantis adeoq; omni vivente, vnde & φυσικὴ dicitur.

VIII. Secundum hanc enim nutrimur & augemur: nutriri autem & augeri omni viventi competit, vt notum est.

IX. Quæ quidem duæ potentiæ an distinctæ realiter sint, an ratione tantum, huc non pertinet disputare: id tantum obseruandum est, in posteriori hac virtutis rationem, quæ quidem hominis virtus sit, non consistere, cum enim in somno, quando quiescit animus à quo boni vel mali dicimur operetur, neque nisi per accidens rationis imperio obtemperet.

X. Sed præter has duas alia adhuc facultas est, nec rationalis ipsa, ita vt rationem habeat: pugnat enim sæpe cum ratione, neque tamen omnino ἄλογος, cum eidem sæpe rursus pareat.

XI. Hæc dicitur ὀρεκτικὴ, siue appetitus sensuum:

ſuum: hic enim in incontinentibus rationi repugnat, in cōtinentibus, & multo magis in temperantibus, liberalibus &c. obtemperat.

XII. Vnde id apparet (cuius ante quoque meminimus) dupliciter quid ratione præditum dici in homine, vno modo illud quod rationem habet, altero, quod ipſi parere natum eſt.

XIII. Atque hinc etiam eſt, quod duplices in homine ſunt virtutes, aliæ διανοητικαὶ, intellectiuæ, aliæ ἠθικαὶ, morales: quarum illæ in ea animi parte ſunt, quæ rationalis per eſſentiam eſt, hæ in altera quæ per participationē. Dianoeticæ ſunt, vt ſapientia, prudentia &c. Ethicæ ſiue morales, vt liberalitas, temperantia &c.

XIV. Hæc de animo hominis ſcienda hic ſunt, tanquam de obiecto diſciplinæ. Nunc de medijs agere ordiamur.

XV. Media vero hic, vt diximus, virtutes ſunt. Quare de virtute, & primo quidem de morali tam in genere quam in ſpecie diſputandum eſt, poſt de intellectiva etiam agendum. Iam de illa in genere dicemus eiuſque definitionem inueſtigabimus.

CAP. I. LIB. II.

XVI. Principio autem id animaduertendum eſt, cum duum generum ſint virtutes, neutrum nobis à natura ineſſe, ſed dianoeticas à doctrina oriri & augeri, ethicas vero parari vſu & adſuefactione, vnde & nomen ἀπὸ ἔθους nactæ ſunt.

XV I. Non inſunt natura, tum quod quæ

natura

natura insunt vsu & consuetudine non mutantur, ut mutari mores videmus, tum quod neq; in ijs actiones priores sunt potẽtijs, à quibus actiones proficiscuntur: nec enim quia crebro ante audierimus vel viderimus facultatem audiendi vel videndi habemus, sed habuimus iam ante quam audiremus vel videremus. At virtute prę-ditus nemo est, quin crebro ante quæ virtutis sunt egerit.

XVIII. Idem nos legum latores quoque docent, quum ciues suos ad optima adsuefaciendo bonos efficere satagunt.

XIX. Adde quod ex eodem principio tam virtutes quam vitia proficiscuntur: agendo enim & boni & mali evadimus, mali quidem, mala agendo, boni bona. Quod si igitur à natura boni essemus vel mali, omnes essent: bene enim vel male omnes agerent.

XX. Atq; hoc primo obseruandum est. Ex quo alterum istud sponte emergit, vt quia in adsuefactione situm sit, quod habitus hujus vel illius modi ingenerentur, ad actiones nostras accurate attendere discamus, cujusmodi eas esse oporteat, & quibus sit adsuescendum.

CAP. II.

XXI. Hac autem de re primo commune præceptum est, fieri actiones omnes debere cum recta ratione, siue ad ejus præscriptum: secundum rationem enim agit functio illa in qua felicitas consistit, vt suo loco ostendimus. Sed quid sit recta ratio & quomodo conjuncta cum omnibus virtutibus moralibus, dicetur inferius.

XXII. De

XXII. Deinde cum & à defectu & ab excessu corrumpi virtutes constet, secundum est vt mediocritati studeamus; sicut enim obest sanitati, si nullum sit corporis exercitium, & rursus si sit nimium; ita etiam qui nihil metuit, audax est, qui omnia, timidus, neuter virtute siue fortitudine præditus.

XXIII. Nam eædem actiones sunt quibus acquiritur virtus cum iis quæ virtutem acquisitam sequuntur: quare vt hæ ita & illæ in mediocritate consistunt.

Cap. III.

XXIV. Denique cum multis ad virtutem consequendam actionibus opus sit, neq; earum certus numerus possit adsignari, sciendum & hoc est, acquisitam virtutem arguere voluptaté quæ actionem comitatur: quamdiu enim nondum comparatus est habitus, ægre & cum difficultate agimus, facile autem & cum voluptate acquisito habitu: imo cum circa voluptatem & dolorem versetur omnis virtus, non potest non ijs gaudere quæ virtutis sunt, & dolere ob contraria qui virtute præditus est.

Cap. IV.

XXV. Sed dubium hîc oriri cuiquam possit, quomodo supra dixerimus bona agendo bonos fieri, cum qui bona agat iam esse bonus videatur, sicuti qui grammatice scribat aut loquatur, grammaticus.

XXVI. Respondendum autem est, nec verum simpliciter esse, quod qui grammatice siue scribat siue loquatur, eo ipso sit grammaticus, cum

eiusmodi quid etiam fortuito fieri possit, vel quoque suggerente altero. Et præterea non eandem esse virtutum atq; artium rationem.

XXVII. Quæ enim ab arte fiunt, bonitatem suam in semetipsis positam habent, quæ à virtute, non nisi in respectu ad agentem: non enim in his tam spectatur, quid quis fecerit, quam quo animo præditus fecerit, quod in iis quæ ab arte proueniunt non attenditur.

XXVIII. Ideoque differt, agere ea quæ bona sunt, & bene agere, item quæ iusta sunt, & iuste agere: bona enim & justa dicuntur omnia, quæ boni & justi agunt. At bene vel juste agere, non tantum est ista agere, sed & ita agere vt boni vel justi agunt.

XXIX. Quod si obseruetur apparet nihil obstare, quin recte dicamus, agendo bona vel justa bonos vel justos fieri, & agēdo ea quæ sunt temperantiam, temperantes, adeoque verum id est, vt qui ista non faciat, eum ad virtutem nunquam peruenire certum sit, cuius quidem experientia ipsa testis est.

CAP. V.

XXX. Quibus præmissis, jam propius ad rem accedamus, vt ipsam definitionem virtutis adferamus.

XXXI. Et primo quidem in animo virtutem esse pridem constat. Erit itaque vel affectus, vel naturalis potentia, vel deniq; habitus. Voco autem affectus, cupiditatem, iram, metum, fiduciam, gaudium, odium & omnia quæ voluptas sequitur aut dolor. Potentias naturales eas per

quas

quas ad agendum secundum hos affectus apti sumus, vt dolere posse, irasci posse, &c. Habitus vero quibus bene vel male hæc facimus,

XXXII. Affectus non est: ob hunc enim neq; boni neque mali dicimur, nec vel laudamur vel culpamur; adde quod affectus non est à proæresi vt virtus, neque sine aliquo corporis motu aut alteratione.

XXXIII. Sed nec potentia naturalis est, idque iisdem de caussis; quin jam ante quoque negauimus virtutem à natura nobis inesse.

XXXIV. Superest itaque vt sit habitus. Hoc ergo Genus in definitione erit. Videamus porro de differentia.

Cap. VI.

XXXV. Hæc autem à mediocritate, quam obseruat in actionibus suis virtus, desumetur: nam vt in omni re continua & diuisibili esse potest excessus quidam, & defectus; & medium aliquod: ita & in affectibus sunt certi gradus, & justo plus aliud, aliud minus, aliud denique etiã medium seu mediocre: circa affectus autem versatur virtus.

XXXVI. Sed hic iam accurate distinguendum inter illud quod medium seu mediocre est, cum dupliciter quid ita dici possit. Aliter enim medium vocatur quod ex parte rei eiusmodi est, seu quidquid simpliciter medium est inter plus & minus, siue defectum & excessum: atq; hoc idem est semper apud omnes homines. Aliter id quod tale est respectu nostri: & hoc ab illo multum differt, nec idem apud omnes

homines est, cum fieri possit, vt quod huius aut illius respectu mediocre est, id in excessu vel defectu peccet, si alium respicias.

XXXVII. Exempli gratia, medium sit ex parte rei, impendere enim duos iusto minus esse potest, & plus iusto impendere decem: quare sex impendere mediocre erit. At hoc non statim est mediocre respectu nostri: regi enim paucum est vel decem impendere, alii multum impendere duos. Ita alio loco multum est duos erogare, alio paucum erogare decem, alio item & alio tempore aliud & aliud mediocre est. Et ita se habet mediocritas.

XXXVIII. Manifestum autem est virtutem non mediocritatem rei, sed eam, quæ nos respicit, attendere.

XXXIX. Atq; hæc ita erit differentia, totaq; adeo virtutis definitio ista, quod sit habitus electiuus consistens in mediocritate quæ nos respicit & determinatur à recta ratione, seu vt vir prudens eam determinauerit.

XL. Habitum autem electiuum dicimus, qui cum electione agit: quæ quid sit, & quod semper cum hoc habitu coniuncta inueniatur, alio loco docebitur. Alterum nunc inductione ostendemus, in mediocritate scilicet omnem virtutem consistere.

CAP. VII.

XLI. Primo autem fortitudo, quæ circa fiduciam & timorem versatur, in mediocritate consti-

conſtituta eſt, inter exceſſum audaciam, & defe-ctum timiditatem.

XLII. Dein temperantia, quæ circa volu-ptates corporis verſatur, inter intemperantiam exceſſum & defectum quam ἀναισθησίαν vocat philoſophus.

XLIII. Porro liberalitas quæ in largiendis & accipiendis pecuniis ijſq; paruis occupata eſt, media eſt inter prodigalitatem & auaritiam: & magnificentia, quæ circa magnas pecunias verſa-tur, medium tenet inter luxum exceſſum, & ſor-des defectum,

XLIV. In honoribus autem appetendis, maioribus quidem, mediocritatem ſeruat ma-gnanimitas, excedit ſuperbia, deficit puſillanimi tas, in minoribus mediocritati ſtudet virtus no-mine carens, quam modeſtiam dicere poſſumus, modum excedit ambitio, in defectu peccat o-mnis honoris contemptus.

XLV. Iræ moderatur manſuetudo, modum excedit iracũdia, deficit vitium, cui & ipſi, quod rarum ſit, nomen non eſt inditum.

XLVI. Virtutes præterea quæ in vitæ con-ſuetudine & congreſſibus ſunt, earum veritas eſt inter jactantiam & ſimulationem, vrbanitas in-ter ſcurrilitatem & ruſticitatem, humanitas inter ſtudium placendi vel aſſentationem & moroſi-atem.

XLVII. Sic & iuſtitia in diſtribuendis & com-mutandis tam bonis quam malis medium tenet inter id quod eſt plus & minus, vt ſuo loco re-ctius explicabitur.

XLVIII. Omnis ergo virtus in medio est inter duo extrema, quorum alterum est ὑπερβολή, excessus, alterum ἔλλειψις & ἔνδεια, defectus.

CAP. VIII.

XLIX. Vbi obserua tria isthæc, medium, excessum & defectum non vno modo sibi inter se opponi: namq; & medium extremis opponitur, ac contra, & extrema sibi quoque inter se aduersantur, magisque sibi inter se quam medio: longius enim à se inuicem distant, quam à medio, neque similitudinem vllam inter se habent, vt sæpe cum medio extremorum alterum.

L. A medio namq; aliquando excessus propius abest, aliquando defectus: audacia exempli gratia, qui est excessus, non distat tantum à fortitudine, quantum defectus timiditas, neque à têperantia tam longe abit defectus ἀναισθησία, quam excessus intemperantia.

LI. Quod quidem potissimum duabus de caussis euenit: primo enim in actionibus ijs, quibus persequimur quæ voluptate nos afficiunt, magis aduersatur excessus rectæ rationi, quam defectus, quod, cum quę delectant maxime persequamur, non tam facile defectu peccemus quam excessu: proinde in hisce actionem à nimio retrahit virtus quantum potest: vnde propius accedit ad defectum.

LII. Contra vero in iis, quæ ob dolorem fugimus, à defectu actio retrahenda, vt ita tum ad excessum magis inclinet.

LIII. Deinde ad alterum extremorum sæpe appe-

appetitus noſter procliuior eſt quam ad alterum ad quæ autem procliuiores à natura ſumus, ipſa longius à ratione diſcedere videntur.

Cap. IX.

LIV. Atque hæc eſt natura virtutis, hæc eius indoles. Cuius qui compos fieri velit, is cum primis ſibi hoc perſuadeat oportet, difficile eſſe vt quis ſtudioſus ſit, cum in vnaquaque re arduum ſit capeſſere medium: vt enim medium nanciſci in circulo non eſt cuiuſuis, ſed eius qui didicerit, ita & mediocritatem in actionibus ſeruare non ita facile eſt.

LV. Huic igitur rei cum primis ſtudendum: quod ita fiet, ſi ab illo extremo, quod magis opponitur medio, ſtudioſe ſemper, quantum fieri poteſt, receſſerimus; hoc enim pacto magis magiſque accedemus ad medium propius.

LVI. Deinde & illud ſedulo attendendum erit, ad quæ vitia natura potiſſimum feramur, vt ita quoque, in contrarium nitendo, ad medium veniamus, ſimile quid facientes ei, quod facere ſolent, qui ligna diſtorta dirigere volunt: in contrariam enim partem ea flectendo hoc faciunt.

LVII. Deniq; in omnibus ſuſpecta eſſe debēt quęcunq; jucunditatem habent, adeoque voluptas ipſa omnis; facile enim hæc nos decipit, quæ à teneris vſque annis irrepſit in ſenſus noſtros, & deprauat dulcedine ſua, vt non recte & quomodo debebamus, de rebus ſtatuamus, plane ſicut pecunia judices in foro corrumpit, quo minus recte judicent.

LVIII. Quin potius quo animo Troiæ erga Helenam erant ciuitatis principes, eo nos erga voluptatem simus: illi enim quamuis forma tam egregia præditam, vt omnium admirationem mereretur, demittendam tamen censebant, ne magno malo esset populo Troiano. Sic & nos voluptatem dimittentes, suis se finibus illam tenere jubeamus, vt minus peccemus.

COROLLARIVM.

Accurate distinguendum est in ethicis inter voluntatem & appetitum sensuum: illa enim animæ rationalis est appetitus, hic ad animam tantum sentientem spectat.

Dispu-

DISPVTATIONVM ETHICARVM III.

DE PRINCIPIIS ACTIONVM MOralium, deque Fortitudine & Temperantia.

Ex III. lib. Ethic. Aristot.

R. HENNINGO CRICCOVIO Brunsuicensi.

THESIS I.

VIrtutem supra definiuimus habitũ qui cũ proæresi & electione agat, actionesque nostras ad præceptũ rectæ rationis dirigat.

II. Quid igitur sit proæresis siue electio, dicendum deinceps erit, adeoque consideranda cætera omnia actionum humanarum principia: absque hoc enim sit, virtutis natura perfecte cognosci non potest.

III. Sunt autem principia illa hæc: Spontaneum, Electio, Consultatio, Voluntas.

IV. De spontaneo primum videmus, quod quid sit manifestum erit, vbi intellexerimus quid sit inuitum.

CAP. I.

V. Inuitum dicimus, quod vel per violentiam, vel per ignorantiam agimus.

VI. Violenta vero actio est, cuius principium foris est & quidem tale, vt nihil ad ipsum adminiculi conferat is qui agit vel patitur, vt si quem

ventus aliquo abripiat, vel per vim portent homines, in quorum ipſe manu & poteſtate ſit.

VII. Eſtq; hoc violentum ſimpliciter. Quæ vero alias facimus, vt vel magna mala euitemus, vel vt quæ cumprimis honeſta ſunt, geramus, talia dici non poſſunt.

VIII. Exemplo ſint qui in mari orta tempeſtate merces abiiciunt, vt vitam ſeruent, vel ſi quis rem turpem faciat (turpem autem dico non inhoneſtam, , ſed alias indecentem) imperante tyranno, qui non niſi ea lege parentes ipſius & liberos, quos miſere vinctos teneat, dimiſſurus ſit.

IX. Hæ enim actiones etſi ſpontaneæ ab omni parte non ſunt, nec violentæ tamen ſunt ſimpliciter: nam certe non vrgente neceſſitate aliqua nemo talia faciat.

X. Mixtæ ergo erunt ex vtroque, ita tamen vt ſpontaneæ magis videantur quam inuitæ, cum non ſolum tum quando iſta aguntur, ab ijs qui agunt, eligantur, ſed etiam principium mouendi membra, quibus inſtrumentis in actionibus vtimur, in ipſis poſitum ſit: quorum vero principium in nobis eſt, ea violenter abſolute non fiunt.

XI. Imo mixtum quid eſſe tales actiones inde quoq; patet, quod ob eas tam laudamur quã culpamur, & veniam quoq; alias meremur, alias non meremur: laudamur enim ſi eo modo faciamus, quæ moleſta alias & indecora ſunt, vt res magnas & præclaras geramus; culpamur, ſi contra faciamus.

XII.

XII. Veniam meremur, si ita fecerimus quæ facere alias non oportebat, vt mala quę constantiam humanam superant, effugiamus.

XIII. Non meretur autem is, qui tam turpia faciat, vt ad ea compelli nulla necessitate debuerit, qualia sunt, committere parricidium, patriam prodere, Deum abnegare, etiamsi maximis commodis eo allectus, vel extremis cruciatibus & tormentis adactus fuerit.

XIV. Vnde constat, quid sit violentum. Sed hic diligenter caue, ne inter violenta referas etiam ea quæ propter voluptatem agimus, ideo quod & illa extra nos sint, & ad agendum compellant. Nam non sufficit, principium foris esse, nisi ita sit, vt nihil nos ad id conferamus, vel vt resistere non possimus: alias enim omnes nostræ actiones violentæ sint. Accedit, quod quæ per violentiam agimus, ea dolor comitatur non voluptas. Imo ridiculum insuper est, voluptatem accusare, vbi male quid feceris teipsum vero absoluere, qui voluptate capi non debueras: & magis adhuc ridiculum, honestorum quidem causam semetipsum statuere, turpium vero principium aliunde arcessere. Et hoc est inuitum per violentiam.

XV Inuitum per ignorantiam dicitur, quod ob ignorantiam fit, ita tamen si eum qui fecit illius postea pœniteat.

XVI. Dico, *quod ob ignorantiam fit*; obserua enim hic aliud esse ignorantem quid facere & facere ob ignorantiam: namq; & ebrius & iratus, imo in vniuersum omnis prauus, siue qui habitum

eum jam vitij alicuius contraxit, ignorat quid agat, dum quæ mala ſunt pro optimis habet & amplectitur: neque tamen hic talis ob ignorantiam dicitur peccate.

XVII. Dico præterea, *ſi eum qui fecit illius poſtea pœniteat:* nam abſq; hoc ſi ſit, ſponte quidem non fecit, ſed nec inuitus tamen. Non inuitus: nam quia inuitum quod eſt contrariatur appetitui, doleret vtique Neque ſponte vero: eo enim ſimpliciter appetitus non ferebatur, quippe quod ignoraret, cum id tantum ſponte fiat, ad quod vltro mouetur, ſicut contra inuite non ad quod non fertur ſolum, ſed à quo inſuper abhorret. Quod ſi ergo ob ignorantiam quod quis fecerit, ſed eius illum non pæniteat, id neq; ſponte neq; inuite, ſed non ſponte factum eſſe cenſebitur.

XVIII. Et hæc ita ſe habent. Quibus adnotandum præterea eſt, ignorantiam non vno modo dici. Namque ignorãtia eſt primo quidem ſi quis vel neſciat ſimpliciter quid ſequendum ſibi in vita ſit, & quid expediat, vt an res mala ſit ſcortatio aut adulterium nec ne, an furari liceat, & ſimilia, vel alias ignoret vniuerſalia iſta, an in actionibus noſtris ratio aliqua habenda ſit loci, temporis, perſonæ & talium, an vero omnia omni loco & tempore apud omnes æque recte fiant. Hæc ignorantia vulgo ſolet vocari ignorantia juris. Alia deinde ignorantia eſt ſi quis ſingularium rerum, quæ actionem circumſtant, aliquam ignoret vt ſi propalet quæ neſciebat tacenda eſſe, filium in prælio interficiat, quem perſuaſiſſet ſibi hoſtem eſſe, haſta feriat quen-

quam

quam, quam præpilatam esse nesciebat, neci de-
dat, pręter spem, quem emendandi tantum cau-
sa verberare animus fuerat, &c. Et hęc dicitur
ignorantia facti.

XIX. Vtraque autem ignorantia non facit a-
ctionem invitam, sed posterior tãtum: illa enim
prior est adfectata ignorãtia & ex proæresi, inue-
niturq; in omnibus malis. Adfectarunt autem
eam & elegerunt, quia scire quisq; talia & potest
& iure merito debet. Atq; hactenus etiam de in-
uito eo, quod tale est propter ignorantiam.

XX. Ex quibus omnibus iam facile constat
quid in vniuersum recte dicatur inuitum: neque
non & quid spontaneum: cuiuscunque enim
principium in ipso agente est, sciente singula in
quibus actio versatur illud spontaneum esse seu
sponte factum ex supradictis intelligetur. Tan-
tum de spontaneo: sequitur de Electione siue
proæresi.

CAP. II.

XXI. Hæc nam que ita virtuti coniuncta est,
vt in communi vita sępenumero videamus ex ea
magis quam ex ipsis actionibus mores homi-
num dijudicari.

XXII. Est autem omnis electio spontaneum
quid: neque tamen plane idem est cum sponta-
neo: hoc enim latius extenditur ac non tantum
in cætera quoq; animalia, & in pueros etiam ca-
dit, quibus electio non competit, sed & quæ su-
bito agimus, sponte quidem fiunt, non tamen ex
proæresi.

XXIII. Neque vero cupiditas aliqua est, vel
ira,

ira, vel voluntas, vel denique opinio, vt quidam è veteribus putarunt, cum, vt diximus, communis nobis cum brutis animantibus] non ſit, vti eſſe iram & cupiditatem conſtat. Adde quod incontinens quidquid agit cupiditate incenſus agit, non ex electione vt continens. Cupiditas præterea proæreſi ſæpe repugnat, rerumque jucundarum eſt: at electio neque jucundarum neque moleſtarum eſt. Non ergo eſt cupiditas.

XXIV. Multo minus erit ita, cum hæc electioni maxime aduerſetur omnium judicio.

XXV. Sed nec voluntas eſt, quanquam affinitatem cum ea habet: nam quæ fieri non poſſunt, nemo niſi ſtultus eligat, & tamen illa velle non ita ſtultum eſt, vt ſi quis velit immortalis eſſe. Adhæc fieri etiam volumus quas ipſi non agimus, neque tamen eligimus quidquam, niſi quod acturi ipſi ſimus; ex. gr. athletarum duorũ pugnantium alterum ſuperari ab altero velle dici ſpectatores poſſunt, nõ tamen eligere. Voluntas inſuper reſpicit potiſſimum finem, electio media per quæ finem conſequimur: ſani enim eſſe volumus, non eligimus, ſed media eligimus, quibus ſanitatem conſequamur.

XXVI. Poſtremo nec opinio eſt: primo enim hæc verſatur circa omnia, & tam circa res æternas, quæque fieri à nobis non poſſunt, quam circa eas quæ noſtri arbitrij ſunt, ac præterea non malo & bono, vti electio, ſed vero ac falſo diſtinguitur. Deinde perſequi rem vel fugere eligimus, non opinamur; at eſſe vel non eſſe opinamur

mur: & electio laudatur ſi ſit eius rei, cuius eſſe oportet, opinio autem ſi eius ſit quod verum eſt. Denique non eligimus niſi quæ bona eſſe ſcimus, at opinamur id etiam quod non ita valde nouimus.

XXVII. Ex harum igitur rerum omnium numero, quas recenſuimus, non eſt electio. Quid ergo tandem erit? Certe ſpontaneum quiddam eſt, vt diximus: at non omne illud quod ſponte fit, ſed id ſine dubio tantum de quo prius deliberatum fuit: cum ratione quippe & diſcurſu juncta eſt; hinc enim nomen nacta eſt, vt προαίρεσις dicatur, quod rem vnam reiectis omnibus cæteris accipiat.

XXVIII. Verum quia hic mentionem fecimus deliberationis, oportet antequam in inſtituto pergamus, quid ea ſit & de quibus fieri ſoleat intelligere.

CAP. III.

XXIX. Fit autem deliberatio ſeu conſultatio non de omnibus rebus, ſed de ijs ſolum, de quibus homo ſanus non mente captus, delibera re ſolet, nec de æternis, vt de cælo, vel aliis quæ eodem modo ſemper fiunt, nec de omnibus quæ interdum ſunt interdum non ſunt, vt de ſiccitate & imbribus, nec de iis quæ in fortunæ arbitrio poſita, vt theſauri inuentione; ſed de ijs quæ ſub actiones hominum cadunt, nec tamen de his quoque omnibus, (quid enim ad nos quæ Scythæ aut Chinenſes agunt?) ſed illis ſolum quæ agi à nobis poſſunt.

XXX. Porro

XXX. Porro nec de istis omnibus: quæ enim tam exacte iam comprehensa ab arte aliqua sunt, vt vno & eodem modo semper fieri à nobis possint, de his nemo deliberat; ecquis enim, qui artem pingendi litteras perfecte didicerit, deliberet quomodo litteras pingat? Sed de ijs quæ non semper æque & eodem modo succedũt. Ita medicus deliberat, qua ratione morbum curet, is etiam qui optime artem suam callet.

XXXI. Denique nec de fine deliberamus sed de medijs quibus ad finem peruenitur: proposito enim fine, quo medio ipsum adsequamur, ac si plura sint, quo eorum omnium rectissime vtamur, inquirimus & consultamus.

XXXII. Tale quid est deliberatio. Vnde iam facile liquere potest, primo id quod eligitur & de quo deliberatur vnum & idem esse, deinde ipsam electionem seu proæresin nihil aliud esse quam eorum quæ nostri arbitrij sunt quandam ex deliberatione profectam appetitionem. Et tantum de electione: iam de Voluntate.

CAP. IV.

XXXIII. Consultatio & Electio, vt diximus, mediorum sunt: at voluntas est finium, estque objectum eius bonum, siue id reuera tale sit, siue apparens tantum.

XXXIV. Accipimus enim hic voluntatem quæ quomodocunque se habeat, siue recte, siue male: alias obiectum eius quæ recte comparata est, non est nisi id quod reuera bonum. Vt namq; illi qui sano est corpore salubre est id quod re vera

vera tale eſt, at ei qui æger eſt ſæpe quod ſalubre alias non éſt; ita & voluntas probi viri quæq; appetit quod debebat, vult nō niſi illud quod verè bonum eſt, ſed voluntas mali contra facit: interdum enim vult quod bonum reuera non eſt.

CAP. V.

XXXV. Hæc ſunt actionum noſtrarum principia. Quæ cum in poteſtate noſtra poſita ſint, actiones quoq; ab ijs profectæ in nobis ſitæ erūt, adeoq; & ipſæ virtutes & vitia, ſiue vt boni aut mali ſimus. Quod quidem vt recte ex ijs quæ explicata ſunt hactenus, tanquam corollarium deducitur, ita obſeruandum hic cum primis & diligenter cōſiderandum eſt.

XXXVI. Nam quid abſurdius, quam quod ex antiquis quidam docuerunt ſponte ſua neminem malum eſſe? certe aut nihil inſcite magis vnquam dictum eſt, aut ab alijs principiis, quam quæ in homine ſunt & nos expoſuimus, actiones noſtræ arceſſendæ erunt. At quænam ſint illa alia principia, cum omnium ſanorum judicio quiſq; non liberum ſuorum magis quam actionum procreator ac parens ſit;

XXXVII. Adde quod ſuffragantur nobis omnes legumlatores, qui vnquam extitere, & priuatus etiam quiſque, dum eos qui mala faciunt (quorum quidem non vis aliqua aut ignorantia cauſſa ſit) pænis vno ore deſtinant & tradunt, ac contra ijs qui recte ſe gerunt honores & præmia decernunt: quorſum enim, ſodes, vtrumque, ſi ſponte noſtra mali non ſumus? an quiſquam ea

vetat & pœnis coercet quæ fieri à nemine possunt aliter: hoc vero perinde sit, ac si quenquam esurire vetes, aut in sole stantem horteris vt ne caleat, aut eum qui pulsetur, ne doleat. Quid, quod iidem ne omnem quidem ignorantiam excusatam habent? certe eius quæ juris est, gratiam non faciunt: imo & ebriis olim duplex pœna statuta fuit, si quid per ebrietatem designassent? tantum enim aberat, vt ignorantia quę inde est, veniam ijs impetraret, vt & factum nihilominus puniretur, quod per illam commisissent, & præterea hoc etiam, quod ebrietatem, à qua sciebant oriri id posse, vt ignorarent ipsi quid agerent, non fugissent.

XXXVIII. Namque id notandum est, parum interesse sciensne quid feceris an insciens, si scire poteras & debebas: tua enim culpa factum est vt nescias, quare & vt per ignorantiam peccares. Neque obstat quod quidam ita comparati sunt, vt animum & diligentiam adhibere plane non possint, siue in inquirendo quod inquirere aut scire debebant, siue in vniuersum in rebus recte gerendis, cum illi ipsi id ante operam dederint vt huiusmodi essent, quando totam vitam occupatam in istis studiis & actionibus habuere, ex quibus se tandem euasuros tales esse ignorare non poterant. Nam profecto tam hebes nemo est, quin si magnam ætatis partem aut Veneri aut ingluuiei consecret, intemperantem se demum plane fore sciat. Vtut ergo contracto jam habitu aliud agere neque velit neque possit, sponte tamē malus est & male facit, cum ante omnino

potuis-

potuisset alius esse, atque ideo nunc etiam aliter agere.

XXXIX. Exemplo sint qui per incontinentiam suam in morbum aliquē inciderunt: namque & hi desinere quidem ægrotare non possunt quum volunt, & tamen sua culpa male habere, ac, si moriantur, esse causa mortis suæ judicantur. Ratio autem est, quod poterant scire ita futurum, & sibi cauere: sed hoc quia facere neglexerunt, morbum etiam illum adeoque mortem ipsam euitare noluerunt.

XL. Nec ad rem quidquam, si dicere hic velis, quemq; nostrum id sequi quod optimum ipsi videatur, at in nostra potestate non esse situm, vt hoc vel illud videatur: nam si à natura hoc est tantum, vt quis recte discernat inter fines, ideoque & ea quæ ad illum finem fiunt, inuita sunt, actiones etiam virtutis inuitę erunt, quod tamen illi negabant; sin vero in nostra quoq; potestate est huc aliquid conferre, jam & in vitiis & virtutibus id æque fieri potest, cum eadem vtrobique ratio sit.

XLI. Et hactenus de virtutis moralis natura in genere. Ostendimus autem habitum eum quendam esse in mediocritate positum, ideoque crebris actionibus in quibus mediocritatis ratio habetur, parari. Sed & actionum harum omnium principia explicauimus, & docuimus non tantum ipsas, sed & habitus qui ex ijs in nobis gignuntur, in nostra potestate esse, quanquam intersit inter actiones & habitus, quod illarum quidem & principium & finis cognita

nobis ac in manu nostra sint, horum vero principium tantum, puta quod sciamus ex huius vel illius modi actionibus similem habitum oriri, licet is, vbi iam adest, in potestate nostra non sit amplius.

XLII. Quibus ita explicatis accingamur iam ad speciem vnamquamq; virtutis seorsim considerandam, ac initio de Fortitudine & Temperantia videamus.

CAP. VI.

XLIII. Versatur autem fortitudo, vt facile constare vnicuique potest, in rebus ijs quas metuere solemus, siue in ipso, si mauis, metu. Metuuntur vero cum multa alia, tum præcipue infamia, paupertas, morbus, solicitudo, vita sine amicis & ipsa mors denique.

XLIV. Non tamen circa hæc omnia occupata est illa virtus, cum horum quædam pertimescere etiam honestum sit. nam profecto infamiam recte quis metuit, neque semper virtutis est paupertatem, morbum, plagas & huiusmodi alia non timere. Adde quod vtut talia nonnulla interdum non metuantur, tamẽ neque hoc proprie fortitudinis aliquod munus est.

XLV. Verum circa rem omnium maxime terribilem versatur, ipsam scilicet mortem, neq; omnem tamen, sed eam quæ in bello oppetitur: nam etsi in illa quoque, quam vel in mari tempestas, vel morbi vis adfert, animo non abiecto est fortis, tamen hæc non est vera fortitudo. Indicio est, quod hanc moleste etiam fert, tanquam in qua virtuti & præclaris factis locus non sit.

XLVI.

XLVI. In pulcra ergo & honesta morte, atque ea quæ subito aduenit, virtus hominis fortis emicat, ibi fidit & interritus est, nihilque metuit.

CAP. VII.

XLVII. Excipe si ea quæ metum incutere possunt constantiam hominis superent, qualia certe quędam sunt: nam sane terrę motus, inundationes, fulmina, & fortis, vt homo, formidat. At in cæteris omnia] quæ oportet, & gratia cuius & quando oportet, propter honestatem intrepide aggreditur ac sustinet: qui est ipse fortitudinis genius.

XLIIX. Excessu hic peccat qui vel plane nihil metuit, vt Celtæ olim neque terræ motus, neque fluctus metuebant, vel saltem modum confidendo exuperat, temereque & arroganter se periculis obiicit: atque horum ille ἄφοβος, hic audax dicitur.

XLIX. In defectu peccat timidus, qui omnia, ea etiam quæ non debebat, metuit. Timidis autem accensemus etiam illos qui ipsi sibi aut ob paupertatem, aut amorem, aut alioqui molestum aliquid, manus adferunt: mollis enim animi est quod acerbum est statim fugere, nec fortis viri, mortem vitæ non ob honestatem, sed ideo vt malum effugiat præoptare. Ita se habet vera fortitudo & eius excessus ac defectus.

CAP. VIII.

L. Verum enim vero aliter adhuc fortitudo dicitur, & quidem quinque potissimum modis

qui etsi ab illa quæ sola vera est, proprie fortitudo, alii plus alij minus, abludunt, similitudinem tamen quandam cum eadem omnes habent.

LI. Primo autem fortitudo quædam est ciuium in republ. quum vel præmiis & honoribus inuitari, vel ignominia, quam metuunt, compulsi viros se præstant. Et hæc quidem ad veram illam fortitudinem quam proxime accedit, quod in quibus est, illi tum amore rei honestæ & pulcræ, qualis est honor, tum ad vitandum quod turpe est, pericula adeunt. Cui accenseri & illorum virtus solet, qui coacti fortes se gerunt, puta si pœna decreta sit ijs qui fugiunt, vel verberibus agantur in hostem: sed hæc illa multo deterior est; metu enim & necessitate non amore honesti excitantur, nec dedecus sed dolorem & pœnas effugere laborant.

LII. Alia fortitudo est militum, qui ideo quod vel periti sunt rei bellicæ & exercitati, vel metum sæpe, qui vulgo magnus videtur, inanem esse sciunt pericula contemnunt. Sed hi tamdiu præsenti animo sunt, quam diu peritiæ suæ confidunt, eaq; se hostibus longe superiores esse statuunt. Ac vbi hanc tantam nō esse, quantam putarant, vident, primi fugiunt, multum deteriores ciuibus fortibus: hi enim fortiter eousque pugnant sæpe donec occidant.

LIII. Porro & qui ira concitati nihil metuunt, fortes haberi solent neque id sine ratione: maximum enim calcar ad pericula subeunda iste adfectus addit. At nec hi vere fortes sunt. Fortis enim ira adiuuatur quidem ad audendum

quod

quod pulchrum eſt, ſed excitatur tamen à ſola honeſtate, nec affectu tantum fertur, ſed ſimul cum conſilio. Iſti vero à ſolo illo rapiũtur, & hoc magis, quod ab eodem excæcati, periculum non vident, in quod ſe coniiciunt. Non ergo fortes proprie ſunt, ſed pugnaces potius: nam quæuis bellua, ira & dolore incenſa, periculum præſentiſſimum contemnit, imo & animalium ignauiſſimum aſinus nullis verberibus à paſtu, quum eſurit, abigi valet. Simile tamen & hi aliquid habent fortitudini, cum natura tanquam miniſter quidam fortitudinis ira ſit, vt diximus.

LIV. Sed & ij quibus ſpes certæ victoriæ animos addit, ideoque ferociunt quod ante aliquoties vicerint, fortes videntur. Verum hi, vt ebrij, magna ſpirant tamdiu, dum perſuaſum habent, ſe ſolos Virtuti & Marti litaſſe: at vbi ſperata paulo eueniunt ſecius, actutum & clypeo & animo abjecto diffugiunt.

LV. Poſtremo mentitur fortitudinem illorum quoque ἀριστεία, qui eo aliquid audent, quod ob imperitiam vel incogitantiam ſuam periculum neſciunt. Qui tamen & ipſi quanto interuallo à vere fortibus diſtent, facile intelligere eſt.

CAP. IX.

LVI. Atque ex omnibus his jam conſtare poteſt, non tantum quis reuera ſit fortis, ſed & qninam & quouſq; ei ſimiles. Verum antequam pergamus, duo hic animaduertenda adhuc ſunt. Vnum eſt, quod licet fortitudo vtrumque illud

doceat, viriliter tolerare, si quæ in bello acerba eueniant, & confidere ac sperare optima, non tamen æque in vtroque emineat, sed in illo sit munus eius quã in hoc prȩclarius: acerba enim recte semper tolerare difficile est & magnȩ constantiæ.

LVII. Alterum est, vt sciamus, cum dictum sit superius, omnem virtutem circa voluptatem & dolorem quodam modo versari, adeoque ea præditum ex ijs quæ agit voluptatem capere, id in fortitudine, præsertim quatenus perfert quæ molesta sunt, non tam de ipsis actionibus quam de fine earum verum esse. Sane enim & vulnera, & mors ipsa molesta forti sunt, & in sse considerata nolenti ac inuito accidunt, imo quo præstantior ille est & pluribus virtutibus insignior, hoc magis dolet se patriæ eiusque commodis eripi: etsi nihilominus virum se præbet, idque ea de caussa quod honestatem omnibus illis anteponat & præ eius pulchritudine cætera omnia contemnat. Tantum de fortitudine: nunc de Temperantia, hæc enim prima omnium appetitum quo quæ nos delectant persequimur componit, vt fortitudo alterum, quo molesta fugimus.

CAP. X.

LVIII. Versatur autem circa voluptates, at non animi sed corporis tantum: etsi enim animi voluptas & ipsa nõ omnis studiosa aut bona est, nemo tamen ab ea temperans vel intemperans appellatur.

LIX. Nec vero circa omnes voluptates corporis:

poris:

poris : illæ enim quæ viſu, auditu, olfactu percipiuntur, intemperantem nō reddunt aut arguūt, niſi forte per accidens. Exemplo ſint qui ſiue elegantibus picturis adſpiciendis, ſiue cantilenis audiendis, ſiue odoratu roſarum nimis delectantur: nemo enim hos intemperantes dicit, niſi tale quid ideo faciant, quod hoc memoriam eorum quæ concupiſcunt refricet, ſicut qui eſurit odore cibi delectatur. At hoc per accidens ſolum fit, ſicuti etiam quod canis odore leporis, leo voce bouis excitari & capi videtur, quorum tamen nec illi odor iſte tam ſuauis in ſe eſt, neque hic voce ita demulcetur, ſed vterque cibum appetit.

LX. Non ergo omnes voluptates corporis ad temperantiam pertinent, ſed illæ ei relinquuntur quæ cæteris ſenſibus, id eſt guſtu & tactu percipiuntur, & cum brutis communes nobis ſunt.

LXI. Sed porro nec tam in guſtu quam in tactu eſt temperantia: nam cum ille ſapores diſcernat, (vt quum pitiſſando exploramus vinum, cujus notæ ſit, vel obſonia condimus) parum ad intemperantis cupiditatem explendam facit: non tam enim hic ſaporem, quam ſolidam perceptionem, & ingluuiem cibi ac potus ſpectat: in hac vero tactus voluptate perfunditur.

LXII. In ſola ergo voluptate tactus potiſſimum eſt temperantia. Sed neq; in omni iſta, quæ enim ad totum corpus attinet, vt fricto, calefactio, liberalis eſt & ingenua: verum ea, quæ gula percipitur & ijs corporis partibus, quibus

ſexu

sexu differimus: hæc enim vt maxime cõmunis nobis cum brutis est, ita cum primis hominem dedecet, si nimia sit, ac proinde opus moderatione habet.

CAP. XI.

LXIII. Sed & illa ipsa distinguenda iterum est: cupiditas enim talis, & quæ eam explet voluptas vel est communis, vel propria & peculiariter adscita. Communem dico cupiditatem, naturalem illam, qua omnes homines quotidie cibum & potum, ac conuenienti ætate Venerem appetunt simpliciter. Propriam vero, quæ in certos cibos, certum potum, & hunc magis quam illum, in certæ item fœminæ consortium aut conjugium fertur.

LXIV. Quæ distinctio bene obseruanda: in illis enim communibus & naturalibus cupiditatibus non ita facile peccatur, sed ea tantum ratione, si simpliciter modum excedas, vt qui comest & bibit quæ oblata sunt, sed ita vt plus sumat quam natura requirit, solum id peccat, quod modum superat. At in propriis facilior lapsus est, & non vniformis: fieri enim solet, vt quis non tantum delectetur plus simpliciter re quapiam quam decet, sed & ea qua non decet, vel quomodo, vel qua eius parte non decet. Quare etiam non tam in illis alteris quam in his cupiditatibus refrænandis operam ponit temperantia.

LXV. Atque ita se habet voluptas circa quam versatur temperantia; nam de dolore hic alia

alia ratio eſt, neque circa eum verſatur, niſi vbi aliquem intemperans expriuatione & abſentia voluptatis capit.

LXVI. Si tamen & huius mentio facienda eſt, erit temperantia directrix voluptatis & doloris, pertinentium ad ſenſum tactus & guſtus, docens ita voluptate frui & dolore ex eius abſentia adfici, vt decet & honeſtum eſt.

LXVII. Extrema hic ſunt intemperantia & quam philoſophus ἀναισθησίαν vocat; illa excedit modum, ac proruit in voluptates turpes & illicitas, angiturque valde ſi frui ijs non detur: hæc vero alteri contraria, nec licita voluptate tangitur, non quidem ideo, quia hoc rectum eſſe ſibi perſuaſit, ſed quia omnis quaſi ſenſus & humanitatis expers eſt. Verum poſterius hoc vitium (ſi tamen ita vocandum) rarum eſt, ideoque nec nomen vulgo inuenit.

CAP. XII.

LXVIII. Intemperantia autem familiarior & peior eſt, imo etiam ſpontanea magis quam timiditas, quod facile patet vtramque inter ſe comparanti; illa enim primo propter voluptatem, hæc propter dolorem omnia facit: dolor vero eius quem occupat animum ſæpe de ſtatu ſuo vi quadam deiicit, quod non facit voluptas. Deinde vt abſtineas à voluptate conſuefacere te ſine periculo potes, at non vt dediſcas timere. Denique intemperantia puerile quid magis etiã eſt, & inde nomen apud Græcos accepit. Nam ἀκολάστους illi vocant non viros intemperantes ſolum, ſed & pueros omnes quorum petulantia

non

non caſtigatur & emendatur. Occaſionem vero ei rei dedit ſine dubio ſimilitudo peccati: certe n. quidquid turpia adfectat & modum in concupiſcendo ſtatuere non poteſt, id caſtigandum & coercendum eſt: tale quid autem eſt non pueri ſolum, ſed effrænis in vnoquoque cupiditas.

LXIX. Quamobrem omnibus danda opera cum primis accurate eſt, vt cupiditati illi mature frænum iniiciant, eamque doceant ad præſcriptum rectæ rationis viuere: ſin; ſerpit ea magis ac magis, nuſquam ſiſtit, (inexplebilis enim eſt) ſed tandem, ſi vehemens ſit, ipſam rationem de ſede ſua deturbatum it, imo deturbat & vinctam dominam ancilla fæda ſub jugum mittit. Tantum de temperantia.

COROLARIVM.

Nnmerum virtutum, quem adſignat Philoſophus, perfectum & ſufficientem eſſe ſtatuimus, idq; probari ita poteſt & debet, quod nulla ſit virtutis actio quin ad aliquam ex illo referri queat, vt inductione, eundo per omnes actiones, patet.

Diſpu-

DISPVTATIONVM ETHICARVM IV.

DE LIBERALITATE, MAGNIFICENtia, magnanimitate, modestia, mansuetudine & virtutibus homileticis.

Ex IV. Lib. Ethic. Aristot.

Resp. JACOBO LAVRENTII BOHM Sueco.

THESIS I.

FOrtitudinem & temperantiam explicauimus: nunc transeamus ad cæteras virtutum species. Et primo quidem dicatur de liberalitate.

CAP. I.

II. Hæc in dandis & accipiendis pecuniis mediocritas est: eo enim nomine & hac in re commendari solet liberalis, non in bello, nec in ijs quæ hominis temperantis propria sunt, neq; in judiciis. Pecunias autem hoc loco vocamus omnia quorum æstimationem numus metitur.

III. In ijs vero eam consistere ex liberalitate quoque apparet & asotia: illam enim vocamus, si quis nimiũ sit pecuniæ studiosus, hanc si omnia sua profundat & dilapidet; quanquam asotum etiam interdum dicimus qui incontinens præterea est, & luxui pluribusque vitiis obnoxius.

IV. Sed & necesse est dari eiusmodi virtutem

tem aliquam: cum enim pecuniis & bene & male vti possis (nam ab vtendo Græce χρήματα vocantur) oportet virtutem esse quæ recte vti ijs doceat.

V. Porro autem quia vsus iste in dando potius & sumptum faciendo consistit, quam in accipiendo & conseruando, (accipere enim & custodire possidentis potius est, quam vtentis) liberalitas quoq; magis in dandis quam in accipiendis pecuniis erit: hoc enim virtuti magis proprium, laudabilius & difficilius est. Adde quod accipere vnde & quomodo decet, id est, aliena non appetere, ad iustitiam magis quam liberalitatem pertineat.

VI. Dat vero liberalis propter vnam & solam honestatem: ad hanc enim, vt cæteræ omnes virtutes, ista quoque tendit, id est, dat quibus, quantum & quando oportet, idque libenter & cum animi voluptate.

VII. Nec accipit idem vnde non debet, neq; in poscendo ab aliis procax est, sed de suo largitur: & ideo quoque rem suam familiarem non negligit, vt sit scilicet vnde dare possit.

VIII. Dat præterea plura & præstantiora aliis quam sibi relinquit: non enim tam se respicit quam alium.

IX. Nec magnitudine tamen & multitudine eorum quæ dantur mensuratur liberalitas, sed animi habitu eius qui dat, vt nihil obstet quin æq; liberalis interdum sit qui pauca dat atque is qui plura, modo ille de paucioribus & facultatibus minoribus det.

X. Li-

X. Liberaliores autem plærumque ſunt qui opes ſuas ab aliis partas acceperunt, quam qui ipſi quæſierunt: illi enim egeſtatem nunquam ſunt experti, & eo ad dandum faciliores ſunt. Diuites vero in vniuerſum raro ſunt qui liberalitatem exercent: nec enim tam ad accipiendum prompti ſunt aut attenti ad rem ſuam cuſtodiendam.

XI. Hi & huiuſmodi ſunt liberales. Peccant hic in exceſſu prodigi, in defectu illiberales. Prodigi alias Græca voce ἄσωτοι dicuntur, quod vt omnes facultates ſuas, ita & ſe ipſos perdant.

XII. Inter prodigos autem & illiberales ſi quæras vtri meliores ſint, prodigos dicemus: hi enim non tantum facile interdum emendantur ſiue ab ætate, ſiue, quæ id vitij ſequitur plerunque, inopia, ſed etiam iniuſti non ſunt ſimpliciter, aut humilis & degeneris animi, cum auaritia & illiberalitas ſit incurabilis ac ſæpe cum iniuſtitia coniuncta. Adde quod prodigus multos profuſione ſua juuat, ſed auarus nec ſibi nec cuiquam alij bene facit. Hoc tantum improbe fit à prodigis interdum, quod multi, vbi opes ſuas jam exhauſerunt, ad aliena rapienda ſe conuertunt vt porro ſit vnde largiri poſſint ijs quibus bene volunt. At hoc dum faciunt jam in illiberalium caſtra eatenus concedunt.

XIII. Cæterum illiberales non ſunt vnius generis: alij enim non dant quantum debent, alii plus quam oportet accipiunt: prioris generis ſunt qui retinenda & conſeruanda ſua eſſe di-

eunt vt ſit vnde ſubſidium petant, vbi aduerſa fortuna ingruat, poſterioris, quicunque turpi lucro & quæſtui dediti ſunt. Et de liberalitate eiuſque extremis hactenus.

CAP. II.

XIV. Pergamus ad Magnificentiam: hæc enim & ipſa pecunias tractat vt liberalitas, quanquam hoc intereſt, quod magnificentia magnas opes deceat, liberalitas mediocres & paruas.

XV. Eſt autem magnificus eiuſmodi quis qui ſumptum magnũ concinne & decore facit, & nouit in quas res facere eum oporteat, ita vt ſumtus opere dignus ſit ac ſumptu opus.

XVI. Idque omne ſolius honeſtatis ſtudio facit, cum tanta animi voluptate & ita prolixe, vt non tam quanto ſumptu indigeat, quam qua ratione pulcerrimum efficiatur opus vnice cogitet.

XVII. Inſumit autem ſua vel in honorem rerum diuinarum, vt in exſtructiones templorum, anathemata, ſiue donaria in templis conſecrata; vel alias in vſum publicum, vt ſunt ludi publici, epulum populo datum & huius generis alia. Imo etiã in res priuatas, vt in nuptias & alias, quibus vniuerſa ciuitas ornari videtur, vel ij qui dignitate præſtant, vt in hoſpites ſplẽdide accipiendos & exſtructionem ſuarum ædium.

XVIII. Verum in omnibus hiſce reſpicere oportet ad eum qui talia facit, neq; fortunarum tantum ſed & perſonæ omniumque circumſtantiarum ratio habenda eſt.

XIX. Ex-

XIX. Excessu hic peccat qui in res minimas maximos sumptus facit opum ostentandarum tantum gratia, quique splendorem affectat ibi, vbi hic reuera nullus est, quales vocentur βάναυσοι.

XX. Defectu, qui in res magnas minutum sumptum facit, & si quando magnum fecerit, postea tamen in re parua omnem dignitatem rursus perdit: semper enim cogitat, quomodo omnia quam minimo efficiat. Tales autem μικροπρεπεῖς & minuti siue sordidi appellantur.

XXI. Hactenus de virtutibus quæ circa pecunias versantur & actiones quæ has concernunt, Sequuntur aliæ quæ honores recte appetere docent, suntq; Magnanimitas & virtus quædam nomine carens, quam nos Modestiam vocemus licet.

CAP III.

XXII. Magnanimitas quid sit intelligemus vbi cognouerimus quis sit magnanimus: nihil enim interest hoc loco, habitumne cõsideremus an eum qui habitu isto præditus est.

XXIII. Est autem magnanimus, qui cum magnis dignus sit magnis dignum quoq; se existimat.

XXIV. Dignum vero esse' re aliqua quia dicitur cum relatione ad externa bona, atque inter hæc præstantissimus est honor, (quippe qui & Deo tribuatur & quo optime meriti quique adficiantur,) circa honores præcipue & probra gerit se ille vt decet & optimum est.

XXV. Et quidem videtur magnanimo adesse

esse quidquid magnum est in cæteris virtutibus neque enim injuriam facit cuiquam, neque demissis manibus è bello fugit: vir enim præstantissimus & optimus esse vult. Vt ita quasi ornamentum quoddam sit reliquarum virtutum eius virtus: maiores namq; eas reddit, neque paratur sine illis. Quare & arduum est, vere esse magnianimi, cum id non absq; concursu multarum optimarum ac honestissimarum rerum contingat.

XXVI. Sed in honore & ignominia præsertim, vt diximus, magnanimus cernitur: magnis enim honoribus, & cum primis si ii à viris opt. ipsi delati sint gaudet & lætatur, tanquam sua & se digna consecutus: at minutos & quidem à quibusuis hominibus, vel ob res paruas delatos negligit. Ignominiam vero contemnit, vtpote quæ in ipsum non cadat.

XXVII. Sed & in diuitiis, principatu, & omni tam bona quam aduersa fortuna recte se gerit, ita vt nec in secundis rebus animus eius efferatur, neq; in aduersis frangatur. Nam nec honorem ille maximum bonum putat esse multo minus illa talia quæ propter honorem optantur eo loco habebit, aut immodice appetet.

XXVIII. Non exiguum autem adfert ad magnanimitatem momentum summo loco natum & opulentum esse: sed maximum tamen, vt quis vir bonus sit: hic enim reuera solus honore dignissimus est. Qui vero à virtute instructus præclare non est, is neque dignum se magno honore reputare debet, vel, si facit, magnanimus tamen non erit: neque enim res secundas recte fere poterit,

terit, ſed ſuperbus & aliorum contemtor audiet: nam quod magnanimus magnis ſe dignum putet, magna enim & honeſtiſsima agit, & multos alios deſpicit, ſed ſine illorum iniuria, id ille imitabitur, ſed diſsimili ratione & euentu, quod & mores eius diſsimiles ſint.

XXIX. Verum pergamus dotes magnanimi exponere. Non tradit ſe ſubeundis periculis paruis, neq; in vniuerſum vlli ſe leuiter obiicit, cum pauca ſint, quæ ſua virtute digna exiſtimet. Quod ſi autem ſubit, magna ſubit, nec tum vel vitæ parcit.

XXX. Beneficium non libenter accipit, ſed libentiſsime dat: illud enim inferioris eſt & qui virtute ſuperatur, hoc virtute ſuperioris. Remuneratur etiam ſi quid beneficii accepit multo pluribus, ita vt is qui beneficium ei præſtitit, non redhoſtimentum tantum habeat, ſed beneficio adficiatur inſuper, atque ipſe iam debeat, non ille ipſi amplius.

XXXI. Quare & libentius meminit eorum in quos ipſe beneficia contulit, quàm à quibus beneficio affectus eſt.

XXXII. Ægre alios quidquam rogat, ſed ipſe inſeruit aliis promptiſsime.

XXXIII. Erga magnos ſe magnum præbet, erga inferiores moderatum: inter illos enim dignitatem ſuam accurate tueri debet, inter hos vero id ineptum ſit.

XXXIV. Honorem non affectat niſi magnum, neq; gerit niſi quod præclarum cũ primis eſt. Quare & cunctatur: non apprehendit enim

quamcunque occasionem se ostendendi, sed exspectat pulcerrimam. Nec multa ergo agit sed pauca quorum nomen magnum est.

XXXV. In amore & odio apertus est: hæc enim qui dissimulat, videtur metuere. Et veritas potius rationem habet, quam vt curet quę hominum sit de se opinio.

XXXVI. Nec dissimulat in vniuersum quidquam, nisi vbi ad populum id opus est.

XXXVII. Non potest viuere ad alterius arbitrium, nisi si ille amicus fuerit: seruile enim alias hoc sit.

XXXVIII. Non admiratur facile quæ videt: nihil enim magnum ipsi est.

XXXIX. Nec meminit injuriarum, sed eas despicit ac pro nihilo habet.

XL. Non laudat temere quenquam: sed nemini etiam maledicit, & in vniuersum non loquitur multa vel de se ipso, vel de aliis, præsertim humilibus: nec enim vt ipse laudetur cura, nec vt vituperentur alij.

XLI. Non est querulus: magnus quippe animus omnia aduersa superat.

XLII. Deniq; pulcra mauult possidere quam fructuosa in quibus tantus splendor non est. Hujusmodi quis est magnanimus.

XLIII. Deficit hic pusillanimis, Græce μικρόψυχος, qui honore quo dignus est se ipsum priuat: & hic quidem malus proprie non est, peccat tamen, & pulcras atq; honestas actiones sæpe negligit, quia omisso animo est.

XLIV. Excedit autem modum inflatus, qui

qui χαῦνος Græce eſt: dignum enim ſe reputat eo honore quo indignus eſt, & magna adfectat ijs modis quibus ad illa nemo enititur. Hactenus de magnanimitate & oppoſitis ei vitiis.

CAP. VI.

XLV. Verum cum omnia quæ dicta ſunt huc-uſque tam de virtute illa quam vitiis concernunt magnos tantum honores, alia eſt adhuc virtus, quæ mediocres curat, & habet ſe ad magnanimitatẽ plane vt liberalitas ad magnificentiam. Nomine autem caret; ſed nos jam ante diximus poſſe eam modeſtiam vocari.

XLVI. Hæc in mediocribus honoribus ſe gerit vt decet & honeſtum eſt.

XLVII. Extrema ſunt, in exceſſu ambitio, quæ non ponit modum in honore appetendo, in defectu ἀφιλοτιμία, quæ omnem, & debitum quoque, negligit.

XLVIII. Tantum quoque de virtutibus ijs quæ circa honorem recte verſari docent. Excipit has Manſuetudo ſiue Lenitas, quæ iræ moderatur affinis illis, quod præcipue ira à læſo honore oritur; ſiue quod is cui iraſcimur tanti nos non fecit, quanti opinione noſtra debebat.

XLIX. Eſt autem lenis ſeu manſuetus qui ſuper quibus rebus oportet, & quomodo, quibus ac quandiu oportet iraſcitur. Vbi tamẽ nota, vocibus iſtis lenis & manſueti paulo nos aliter vti quã vulgo ſolemus: qui enim alias ita appellantur ij ad defectum inclinant.

L. Defectu peccat qui, nunquam iraſcitur,

nec injuriam propulſat, ſed inſtar mancipij ludibrio ſe ſuosque haberi & contumelia affici vltro patitur.

LI. Excedunt modum qui iraſcuntur quibus non decet, & ob quas cauſas non decet, & plus quam decet, & longiori tempore. Quorum quidem quadruplex eſt differentia: alij enim tales iracundi ſunt, alii cerebroſi plane, alii amari, & alii deniq; ſæui. Iracundi & cerebroſi facile & celeriter iraſcuntur, ſed cito tamen finem iraſcendi faciunt: amari vero & ſæui iram ſemel cóceptam retinent, nec concoquunt facile, aut deponunt ante quam vlti pro lubitu iniuriam ſint. Atque hi illis deteriores ſunt.

LII. Aduerſatur autem hic exceſſus magis virtuti quam defectus: non tantum enim iracundia familiarius eſt vitium, & procliues omnes natura ſumus ad vlciſcendum, ſed nihil peius præterea eſt amaris illis & ſæuis in vita & societate mortalium. Tantum de iis habitibus qui circa iram verſantur.

LIII. Pergamus vlterius & videamus nunc eas quoq; virtutes quæ in conuictu & congreſsibus locum habent, & ideo ὁμιλητικαὶ dicuntur. Sunt autem tres numero, Humanitas, Veritas ſiue Candor, & Vrbanitas.

CAP. VI.

LIV. Humanitas eſt quæ ſic viuere nos cum aliis docet, vt iis conſuetudo noſtra non moleſta ſed iucunda ſit, & vt faciamus quæ grata aliis ſunt, ſed ita tamen vt ſi turpe quid committant, aut quod magno malo iis fore putemus, non diſſimu-

ſimulemus rurſum id nobis diſplicere, & modeſte interdum eos reprehendamus.

LV. Habet hæc virtus magnam affinitatem cum amicitia: ſic enim vt diximus viuere cum aliis amicorum eſſe videtur. Sed hoc intereſt, quod animi motu & affectu amoris humanitas caret, qui tamen in amicitia eſt: neque enim qui humanus eſt quod agit ideo facit, quia amet illum qui cum viuit, ſed quia alias eo ingenio eſt & iſtud vitæ inſtitutum ſequitur, imo erga ignotos æque ac notos talem ſe gerere conſueuit.

LVI. Obſeruat autem vir humanus præcipue perſonæ cuiuſque, quacum verſatur, conditionem, & id operam dat, vt aliter ſe erga ſuperiorem, aliter erga æqualem, & aliter denique erga inferiorem gerat, & ita vnicuique tribuat quod ei competit.

LVII. Peccant hic in defectu quidem moroſi & contentioſi, qui in omni re aliis aduerſantur parumq; penſi habent, ſi offendant eos quibuſcum viuunt. & facile ac pertinaciter de re non magni momenti cum ijs contendunt. In exceſſu vero qui nimis obſequentes ſunt alijs, neminiq; in vlla re aduerſantur: atq; hi in duplici ſunt differentia: alij enim faciunt id ſolo placēdi ſtudio, qui ἄρεσκοι Græce vocātur, alij, vt vtilitatem inde aliquā capiant, ex quo ſeminio eſt omnis aſſentatorum & adulatorum natio. Hæc eſt humanitas & iſta ei aduerſantia vitia.

CAP. VI.

LVIII. Veritas ſiue candor eſt virtus quæ in conuictu mendacium & diſſimulationem vi-

trare docet. Oportet namq; eum qui viuere recte cum aliis velit non id tantum operam dare, vt iis quibuſcum verſatur voluptati non oneri ſit, quod humanitatis munus eſſe diximus, ſed etiam vt veritatem colat verbis pariter ac factis: mēdacium enim omne per ſe turpe eſt, at verum contra laudabile & honeſtum.

LIX. Voco autem veracem ſiue candidum eum, qui de ſe ſuisque rebus vere & recte ſentit, veritatemque in vita & ſermone ſequitur, ita vt ingenue fateatur quidquid boni in ſe eſſe depre hendit, atq; illud verbis nec augeat nec minuat, idq; nullius alius rei cauſſa, quam quia ſic decere putat, nec in contractibus (nam in his alia virtus eſt) ſed in aliis in quibus parum intereſt alterius ſic an aliter res aliqua comparata ſit.

LX. Peccant hic exceſſu mendax & glorioſus ſiue arrogans, quorum ille ſola mentis vanitate dicit quæ falſa ſunt, hic propter nimiam cupiditatem gloriæ. Defectu diſſimulatores, qui omnia ſua extenuant, ea etiam quæ leuia ſunt & in aperto poſita.

LXI. Sed animaduerte exceſſum hoc loco longius à medio abeſſe quam defectum, melius enim eſt & ciuilius extenuare ſua quam efferre, & in vniuerſum politi habentur illi qui ideo vt jactantiam vitēt multa diſſimulant, quod & Socratem feciſſe legimus. Hæc eſt veritas & eius extrema.

CAP. VIII.

LXII. Verum cum tam humanitas quam veritas in ijs ſpectētur potiſſimum quæ ſeria ſunt &

occur-

occurrunt in conuictu, de iocis & consuetudine ea quę cum alijs est quando requies aliqua datur & à seriis cessatur quid fiet? Hic iam Vrbanitas officium suum faciet & ne quid impingatur cauebit. Esse enim in talibus etiam nimium & parum, nemo est qui ignoret. Quare & medium erit, quod seruemus.

LXIII. Est vero Vrbanus qui in loco jocari concinne & eleganter nouit, ita vt non proferat quidquam quod vel ipsum dedecet dicere, vel alteri molestum sit audire, sed quod & deceat simul, & jucundum ac suaue sit ei quo cum iocatur.

LXIV. Peccant hic in excessu scurra & cauillator: ille enim jocatur ita vt neq; dignitatis suæ, neq; honestatis rationem habeat, hic vero dum falsę alios nimis perstringit, fit vt jocus eius sæpe non multum absit à conuitio. In defectu impingit agrestis, qui nec ipse jocari recte didicit, nec alios ciuiliter jocantes audit sine stomacho. Et hæ sunt virtutes illæ quæ in hominum consuetudine & conuictu versantur; quarum duæ, vt diximus, res serias, vna lusum & iocum concernit.

CAP. IX.

LXV. Sed hic jam quæri de verecundia potest, annon & illa his virtutibus accensenda sit, cum ipsa quoq; in congressibus & conuictu se exerat. Vbi obserua eam nec virtutem esse nec in virum probum cadere. Non est virtus quia similis magis est affectui quam habitui: hoc enim arguit manifesta alteratio corporis eorum qui ve-

recundantur, quodque erubeſcunt non minus, quam pallent alij qui metuunt. Non cadit in virum probum, quia is nihil committit cuius eum pudere merito queat: neque enim huius eadem ratio eſt atque adoleſcentum, cum his peccata facile condonentur, modo à pudore & verecundia reuocentur in viam, ille vero veniam non impetret, quod eius erat nihil peccare, ac proinde & verecundia eius non laudetur.

LXVI. Nec eſt quod hic arguteris, Si non cadat in virum probum verecundia & pudor, impudentem ergo eum eſſe: nam neutrum ei competere poteſt, plane vt nec continentia, nec incontinentia, ſicut ſuo loco oſtendetur.

COROLLARIVM.

1. *Non liberalitas aut magnificentia fuit, qua L. Sulla poſt deuictum C. Marium erga amicos ſuos vſus eſt, licet gregarios etiam milites ita ditauerit, vt quidam regio victu atq; cultu ætatem agerent, quemadmodum eſt apud Salluſt. bell. Catil. cap. 37. ſed translatio tantum pecuniarum à iuſtis dominis ad alienos, dicente M. Tullio off. 1. Idem cenſendum de largitionibus C. Iulij Cæſaris poſt bellum ciuile, vt eodem loco recte idem Tullius notat. Quin nec illæ eiuſdem Cæſaris profuſiones, quibus aditum ſibi primum parauit ad rempub. & porro ad principatum nomine illo dignandæ ſunt, quippe non tam ob honeſtatem quam ob honoris & dominandi cupiditatem factæ. Vide Plutarch in ipſius vita.*

2. *Magnanimum autem factum Furij Camilli & Fabritij, quorum ille cum obſideret Fidenas, ludimagi-*

ſtrum

strum vrbis proditorem Fidenatibus, hic in bello Tarentino medicum Pyrrhi, siue, vt alij volunt, litteras medici, caput regis venale offerentes, regi vltro remisit. Flor. 1. c. 12. & M. Tull. off.

3. *Magni item animi facinus Scipionis Africani maioris, quod cum à Patiliis &* Næuio *trib. pl. repetundarum accusaretur, librum rationum in conspectu populi scidit. Hac die, inquiens, Carthaginem vici, Bonum factum in Capitolium eamus, & Diis supplicemus. Digna sane tam opt. merito heroe tanta calumniæ refutatio. Vide Sext. Aurel. Vict. in Scipione.*

4. *Insignis etiam mansuetudo Pauli Macedonici erga Persen vltimum regem Macedonum in bello Macedonico secundo, quod eum à se deuictum sibiq; supplicem ita tractauit, vt nemo ipso reuerentior fuerit captæ majestatis, quin & liberos ea occasione de inconstantia fortunæ diligenter admonuerit.* Nec *minor Sullæ in bello Mithridatico erga Athenienses, quod postquam eos domuerat, ingratißimos hominum, vt ipse dicebat, in honorem tamen mortuorum sacris suis famæq; donauit. Flor. l. 2. c. 12. l. 3. c. 3.*

Dispu

DISPVTATIONVM ETHICARVM V.

DE IVSTITIA ET IVRE,

Ex V. lib. Ethic. Aristot.

Respon. AVGVSTO Stisser Halensi Sax.

POstquam explicauimus ordine cæteras virtutum species, restat vt de Iustitia nunc agamus, quam in vltimum locum propterea reiecimus, quod non solum paulo operosior eius tractatio sit, sed etiam quia in voce iustitiæ homonymia & æquiuocatio est quæ explicari nisi reliquis virtutum speciebus ante cognitis commode non potuit.

CAP. I.

II. Est autem in confesso apud omnes, iustitiam habitum quendam esse quo ad iusta volenda & agenda apti sumus ac secundum quem talia agimus & volumus, vt & contra iniustitiam, quo iniusta agimus & volumus.

III. Verum non vno modo dicitur vtraque, quanquam æquiuocatio ea facile & primo intuitu non deprehenditur, quod in rebus valde cognatis sit. Vide enim quot modis dicitur in justus, quot iustus. Iniustus vocatur non solum quicunq; in leges peccat seu iura violat, sed & peculiariter omnis, vt Græci loquuntur, πλεονέκτης,

id est,

id eſt, qui de bonis externis plus juſto ſibi vendicat, ſeu quicunque iniquus eſt. Similiter & iuſtus dicitur tam qui æquus eſt quam qui legibus obtemperat.

IV. Vno ergo modo etiam iuſtitia dicitur de omni eo quod legibus & iuri congruum eſt. Et hæc eſt non ſpecies aliqua aut pars virtutis ſed integra & ipſa virtus. Nota tamen hoc intereſſe, quod virtus in ſe conſideretur, iuſtitia ad alios reſpiciat, quodque hæc illius quaſi vſus quidam ſit. Nam certe ea differunt habere & poſſidere virtutem ac vti ea erga alios, cum contingere videamus, vt quidam qui ſua ipſorum recte ſatis diſponant & adminiſtrent, erga alios tamen non ita ſe gerant vt par erat: vnde & illud dictum vetus ſapientiſſimi viri celebratur: *Magiſtratum oſtendere virum*, & vulgo dici ſolet, Iuſtitiam bonum alienum eſſe.

V. Ratio vero in promtũ eſt, qua oſtendatur juſtitiam eam ad alios reſpicere: docet enim parere legibus: hæ autem de omnibus præcipiũt, vel certe præcipere debent, quæ ad publicum & commune bonum pertinent. Sic, fugere turpiter è prælio lex vetat, quod fortitudinis munus eſt, prohibet adulterium, quod ad temperantiam ſpectat, & ita deinceps in cæteris quoque ea iubet quæ virtutis ſunt, prohibet quæ vitij.

VI. Sed quomodo ergo differunt, inquies? Non realiter ſed ratione, ſiue formaliter potius vt vocant: vnum enim & idem ſunt, at τῷ εἶναι non eſt idem. Quid autem ſit differre τῷ εἶναι & forma-

formaliter, vide in disput. nostra metaphys. de Distinctione,

VII. Porro vero vt hæc justitia est integra virtus, ita & injustitia, quæ ei opponitur, non est pars vitii sed integrum vitium.

CAP. II.

VII. Verum de illa justitia agere nunc non instituimus, imo actum de ea tum fuerit, quum jam omnes species virtutis explicauerimus, sed alteram illam quærimus quæ species virtutis est.

IX. Dici autem & esse justitiam hujusmodi quoq; aliquam præter alteram istam, & injustitiam similiter ei oppositam, ita probari potest. Primo, si τὸ πλεονεκτεῖν siue plus justo sibi capere de bonis externis ad nullum cæterorum vitiorum pertinet, erit id vtiq; peculiare aliquod vitium. At ad nullum pertinet: nam qui locum deserit in acie is ignauus est, qui maledicit cuiquã, iracũdus, &c. &c. qui vero plus accipit quam debuit & lucratus injuste est, nullius illorum & similium vitiorum arcessitur. Quare hoc peculiare vitium est. Quod si autem vitium peculiare est, erit ei opposita etiam peculiaris virtus, siue certa species virtutis, non vniuersa aut integra virtus.

X. Deinde si quis adulterium committat ideo vt quæstum faciat, is non tam intemperans quam injustus habebitur: si quis vero idẽ faciat tantum ob libidinẽ, & quidem etiam cum iactura bonorum suorum, non tam iniustus quam in-

tem

temperans existimabitur. Similiter autem ratio est & in cæteris vitiis. Ergo iniuste dicitur aliquid fieri peculiari etiam ratione, non ita tantum vt omne quod legibus & iuri aduersatur.

XI. Denique omnes actiones quæ iniustæ alias dicuntur peculiare quæque nomen præterea habent; at illa, quum quis lucratur plusquam decet, non aliter quam injusta dicitur. Peculiariter igitur ei, non vt aliis omnibus actionibus vitiosis, injustitiæ nomen competit.

XII. Ex quibus jam constare potest justitiam quoq; interdum dici vniuersam virtutem, vt scilicet ea exercetur in societate hominũ, & omne id, si quis iuri & legibus obtemperet, interdum vero peculiarem aliquam virtutis speciem eo nomine designari, & illam quidem tam late patere quam patent ea in quibus vir bonus & virtute præditus, studia sua occupata habet, hanc vero consistere in honore, pecuniis, iis quæ ad salutem hominis pertinent, & (si vno verbo comprehendi possunt) omnibus illis in quibus ob lucrum quoddam aliquid delinquitur.

XIII. Patet etiam hoc, justitiam vnam ab altera discrepare, sed ita tamen, vt ex parte quoq; conueniant: virtus enim vtraq; est, & vtraque ad alios respicit. Tu hic præterea obserua obiter, vnam vulgo vniuersalem, alteram particularem appellari.

XIV. Sed de particulari justitia, vt instituimus agamus. Hæc autem duplex est: vel enim versatur in distributione honoris, pecuniæ & aliorum, quæ distribui inter eos solent & possunt qui

vnius & eiusdem reip. ciues sunt, & vocatur distributiua, vel in contractibus tantum ac dicitur commutatiua. Et hæc posterior quidem vicissim duas partes habet. Ratio est quod contractus quoq; in duplici sunt differentia: alij enim sponte fiunt, vt emptio, vẽditio, mutuum, fideiussio, commodatum, depositum, locatio & conductio, alij inuitis nobis, & hi quidẽ vel inviti sunt ob ignorantiam, siue clandestini, vt furtum, adulterium, veneficium, cædes dolo facta, falsum testimonium, &c. vel ob violentiam, vt verbera, vincula, mors, rapina, maledictum &c.

CAP. III.

XV. Cæterum diximus supra id quod iniustum esset iniquum quoq; esse. Hoc, si de iniustitia particulari sermo sit, reuera ita se habere omnes homines fateri necesse est, qui confuse tantum norunt, quid iniustum, quid iustum dicatur, estq; tam manifestum vt probatione nõ indigeat. Ecquis enim plus sibi capiat quam decet de bonis, & non iniquus in eum sit, cui quidquam de illis ereptum it? ecquis defraudet quenquam aut injuria adficiat cui æquum se præbet?

XVI. Id ergo hic tanquam certum & indubitatum supponamus. Vnde deducitur iam illud primo, justitiam esse æqualitatem siue æquitatem quandam: quod & ipsum tamen nescio an alias etiam negare quis facile ausit. Deinde & hoc, eandem medium aliquod esse: æquale enim medium est, & denique inter duo ad minimum consistere, vt & æquale.

XVII. Sed quia jus & juſtum ad alios refertur, id eſt, quod jus & juſtum eſt aliquibus tale eſt, etiam illud facile conſtat, juſtitiam quoque ad alium referri, ut itidem ſupra diximus. Quapropter erit juſtum, quatenus quidem eſt quid æquale, duarum rerum (medium enim eſt) quatenus vero juſtum huic vel illi, duarum perſonarum. Unde efficitur quatuor ad minimum requiri in quibus conſiſtat juſtitia, duo *quorum* ſit juſtitia & duo *quibus* aliquid juſtum ſit.

XVIII. Porro autem una eſt & eadem æqualitas eorum, *quorum* eſt jus, & eorum *quibus* eſt, & ut illa, ita & hi ſe habent: nam certe alias qui æquales ſunt æqualia non accipient, itaque querelæ & expoſtulationes orientur. Præterea etiam dignitatis ratio hic habenda eſt, ut omnes fatentur, ſi non in contractibus, ſaltem in rerum diſtributione: in hac enim absque eo ſi ſit, nulla eſt æqualitas. Quapropter & hoc liquet, juſtum omne proportione aliqua & comparatione conſtare: æqualitas enim quædam rationis eſt proportio & in quatuor minimũ reperitur, nec numero ſolum ei quoquo numeramus, ſed in univerſum omni competit.

XIX. Eſt autem proportio duplex, quæ quidem ad noſtrum inſtitutum nunc aliquid facit (alias enim triplex eſt) Geometrica & Arithmetica. Geometrica vocatur, quando numeri ita progrediuntur, ut quoties primus eorum continetur in ſecundo, toties tertius contineatur in quarto, & quartus in quinto, & ſic deinceps. Talis eſt in his numeris II. IV. VI. XII. Sicut enim ſe

habent II.ad IV. ita se habent VI.ad XII. nam ut binarius bis continetur in quaternario, ita senarius bis itidem reperitur in duodenario. Arithmetica autem dicitur, quum numeri ita progrediuntur ut æqualis inter omnes distantia sit, id est, quantum primus abest à secundo tantum tertius distet à quarto, &c. Talis proportio est in istis numeris II.IV.VI.IIX. quantum enim distant II. à IV. tantundem absunt VI. ab IIX. & ut inter II. & IV. unitas intercedit, ita & inter VI. & IIX. monas est.

XX. Sed utraque hæc proportio vicissim vel est continua vel disjuncta. Disjunctam voco, quum omnes termini proportionis distincti sunt, continuam quum unus numerus bis sumitur. Exemplum continuę est in Geometrica hoc: II.IV.IIX. hic enim tres tantum numeri sunt cum tamen quatuor termini in proportione requirantur. Sumitur ergo bis numerus secundus, & ita dicis: Sicut se habent II.ad IV. ita IV.ad IIX. In Arithmetica vero exemplum si istud II.IV.VI. Effertur ita: Quantum distant II. à quatuor, tantundem IV. à VI. distant. Disjunctæ exempla allata jam supra sunt & ex iis possimum ipsa proportio definita.

XXI. Ita se habet proportio tam Geometrica quam Arithmetica, ita tam continua quam disjuncta. Nunc ad institutum nostrum redeamus & illa ei accommodemus.

XXII. Ubi observa primo proportionē Geometricam quidem omni & soli distributivæ justitiæ, Arithmeticam vero omni & soli commutativæ

tativæ competere. Deinde hoc quoque, solam disjunctam in universum hic usui esse, non continuam: quatuor enim distincta ad minimum esse in omni justitia supra ostendimus, & manifestum satis est, cum nec distributio nec commutatio ulla fieri queat, nisi rerum minimum duarum & inter personas duas.

XXIII. Esse autem in omni justitia distributiva adhibendam proportionem Geometricam, non aliam, inde probatur, quod nulla distributio tam pœnarum quam præmiorum aliter institui recte possit, quam secundum meritum cujusque, & ut quisque eorum alterutro dignus est. At ubi meritum & dignitas personæ spectatur, & ex iis æqualitas attenditur aut medium capitur, non potest alia esse proportio, quam ut sicuti se meritum unius habet ad meritum alterius, ita & pœna vel præmium unius ad pœnam vel præmium alterius comparatum sit. Non potest, inquam, alia esse proportio, nec alia æqualitas. Eatenus enim res quoque æquales erunt quæ distribuuntur, & personæ inter quas distribuuntur, & ipsa denique distributio æqua, cum alias, si simpliciter rem consideres, ut inter personas, ita & inter res distribuendas magnum discrimen esse possit.

XXIV. Exemplum hujus rei in præmiis quidem esto tale. Diribenda sit inter exercitum præda aliquot M. aureorum. Ut recte & juste fiat diribitio, oportet certe non totidem aureos caloni aut caculæ dari, quot militi, nec militi gregario quot primipilo, nec huic quot

ipsi duci, aut ei, qui primus murum hostilem conscenderit, sed dignitas, sive meritum potius cujusq, accurate pensandum est, & juxta hoc solum præda distribuenda. Instituetur ergo diribitio sic. Si gregarius miles ita se habeat ad ducem ut X. ad C. ubi miles acceperit X. aureos dux accipiet C. uti & vice versa ubi dux acceperit C. cedent illi X. Eodem pacto & cæteri inter se comparabuntur, & pro merito quisque accipiet.

XXV. Exemplum vero in pœnis sit istud. Scortatus quisquam sit, sed commiserit alter adulterium simplex, tertius vero adulterium duplex, quartus forte incestum. Omnes pœna adficiendi. At non eadem simpliciter omnes, quid enim eo sit absurdius, quid injustius? Ergo diversis. At à qua re definietur illa diversitas nisi à diversitate meriti cujusque? quare quanto majus peccatum est adulterium etiam simplex fornicatione, tanto secundus punietur gravius primo, & quanto pejus duplex adulterium est simplici, tanto gravius plectetur tertius secundo, & quanto denique incestus detestabilior est adulterio omni, tanto ultimus mulctabitur gravius etiam penultimo.

XXVI. Hac ratione administratur justitia distributiva & hæc ejus vera natura est ac indoles.

CAP. IV.

XXVII. Verum aliter se habet commutativa, sive ea quæ in corrigendis & emendandis contractibus tam invitis quam spontaneis operam suam collocat. Illud enim jus distributionis rerum communium est, & ad rempublicam potissimum

tissimum spectat, eaq; constat proportione, qua diximus. At hoc quod in contractibus est privatim ad quemq; attinet, & quidem æquale quod est, sed non illa, verum arithmetica proportione. Ratio est quod hic non ex dignitate personæ pensitatur æqualitas, sed simpliciter tantum rerum quæ commutantur æqualis distantia inter id quod plus & minus est, attenditur, personis interim utendo ut æqualibus. Nihil enim utiq; interest, probum improbus defraudarit, an improbum probus, nec an vir bonus commiserit adulterium, an pessimus quisquam nebulo. Tantum hoc spectatur, quantam injuriam unus fecerit, quantamque passus alter sit.

XXVIII. Esse vero hanc proportionem Arithmeticam manifestum est. Sicut enim illius hæc natura est, ut simpliciter numerorum inter se distantiam observet: ita & justitia commutativa medium & æqualitatem quærit in sola distantia à lucro & damno, facitque ut contractus omnis utrinque æqualiter inde absit.

XXIX. Observa autem lucri vocabulum hic multo latius accipi quam alias vulgo solet, utut forte non ita accommodum id æque omnibus sit, quibus eo pacto tribuitur: vocamus enim sic omne illud quod damno opponitur, etiam in contractibus invitis, cum cæteroqui spontaneis tantum proprium sit, Ex. gr. Titius percusserit Sempronium, damnum accepit Sempronius, quia percussus est, sed lucrum penes Titium est, percussit hic enim. Sed pergamus.

XXX. Justum ergo hoc medium est inter

lucrum & damnum: lucrum vero eſt plus boni & minus mali, damnum plus mali & minus boni. Quare etiam omnis judex bonus jus non aliter adminiſtrat, quam medium inter duo illa ſtatuendo, & omnes quoque qui inter ſe de re aliqua diſſident, ad eum ideo confugiunt, ut quod æquum & medium eſt conſequantur.

XXXI. Et ſane fit hic ſimile quid ei, ſi linea aliqua in duas partes inæquales diviſa ſit: ut enim partes ejus ad æqualitatem rediguntur detrahendo uni earum & apponendo alteri, ita hic etiam dum ei qui lucratus eſt demitur quantum ſatis eſt, & additur alteri, qui damnum cepit, ad æqualitatem res redigi poteſt. Imo huc alludere videtur vocum quoque etymologia, quum jus quidem Græce δίκαιον, & judex δικαστὴς vocatur: eſt enim illud quaſi δίχαιον dicas ὅτι δίχα ἐστι, id eſt, quia in æquales partes diviſum, hic vero quaſi διχαστὴν appelles, ſive eum qui æqualiter aliquid dividat.

XXXII. Erit igitur, ut diximus, jus commutativum lucri & damni cujusdam, quod præter voluntatem obvenit, medium, & juſtitia commutativa illa quæ operam dat, ut ii quorum alter lucratus eſt, alter damnum paſſus, redigantur ad illud medium, & ſic uterque tantum poſt habeat, quantum habuerat prius. Atque ita ſe habet utraque juſtitiæ ſpecies.

CAP. V.

XXXIII. Verum hic jam controverſia incidit de talione, quam Pythagorei olim ſolam pro

jure

jure venditabant. Definiebant enim jus ita, si quod quis alteri fecisset, id ille simpliciter reparetur. Hoc verum esse jus dicebant, & secundum id ab ipso etiam Rhadamantho apud inferos judicari & pronunciari. Sed quicquid sit de Rhadamantho, qui ad nos nihil, talio illa, absolute quidem ita accepta, à vero jure multis modis discrepat, nec ad rite distribuendum quidquam, nec ad emendandos contractus valet. Indicio sit vel hoc tantum. Si quis gerens magistratum verberavit quenquam, non is rursum verberatur. At si quis magistratum verberaverit, is non tantum male multabitur vicissim, sed & supplicio adficietur. Adde, quod multum intersit, sponte quis quidquam, an invitus fecerit.

XXXIV. Et hoc quidem ita se habet. Nec tamen negari interim potest, in rerum permutatione & contractibus jus illud locum habere, sed si cum proportione aliqua accommodetur, non si secundum æqualitatem simpliciter. Imo omnis societas civilis factis proportione reciprocis conservatur: aut enim malum acceptum reponere inimico conamur (absque quo si sit, servitus ea esse putatur liberi hominis, cum injuriam propulsare non liceat) aut ei qui benemeritus est de nobis gratiam referre cupimus.

XXXV. Fiunt autem hæc cum proportione si quis qui facit quidquam quantum & quale facit, tantum & tale quid vicissim patiatur. Neq; enim idem simpliciter pati potest, cum ex

diverſis & diſſimilibus adeoque inæqualibus civibus ſocietas & reſpublica conſtet: alius puta agricola eſt, alius architectus, alius ſutor, qui certe permutare res ſuas inter ſe non poſſunt, ſi idem plane hic dare & alter accipere velit, ſed opus eſt ut merces inter ſe comparentur, & ſecundum comparationem illam tantundem unus accipiat, quantum alteri dedit.

XXXVI. Et hac quidem de cauſſa quæſitus & inventus eſt numus, qui rerum omnium quæ permutantur quaſi menſura quædam ſit. Hic ſuccurrit cujusque indigentiæ & permutationem juvat; ideo enim alter cum altero merces commutare cupit, quod earum quas ipſe non habet indigeat, & numus id uſus præſtat, ut per eum merces diverſæ æſtimentur & ad æqualitatem redigantur.

XXXVII. Exemplo ſint ſutor & agricola, qui permutare res ſuas velint: alter enim calceis, alter frumento & pane opus habet. Merces diverſæ ſunt. Comparari igitur eas inter ſe & exæquari oportet, quod per numum fit. Facta jam exæquatione conſtat quot paria calceorum danda à ſutore ſint agricolæ pro frumenti modio, ut uterque tantundem recipiat, quantum alteri dat.

XXXVIII. Eſt autem numus non tantum inſtrumentum ejus permutationis quæ præſens eſt, ſed etiam futuræ quidam quaſi ſponſor: quando enim cunq; eum attuleris permutare licebit, cum is idem ſemper præſtare valeat.

XXXIX. Quanquam & hoc ſciendum, etiam

numum

numum interdum mutari posse: quicquid enim valet hoc omne ab hominum arbitrio est & in eo positum, unde quoq; Græce νόμισμα ἀπὸ τοῦ νόμου id est, ab opinione appellatus est. Sed hoc tamen raro fit & non sine detrimento reipublicæ, cum nihil ad permutationes recte & legitime instituendas magis conducat, quam ut res omnes recte æstimatę sint, melius autem æstimari non possunt, quam si valor earum ad unam mensuram eamque perpetuam & immutabilem exigatur.

XL. Verum quæri hic possit, quomodo res tam dispares & dissimiles, quales sunt quæ permutantur, mensurari ita possint, cum in nulla re communi convenire videantur. Sed respondemus, commode posse ob utilitatem earum & indigentiam cujusque qui accipit: in hoc enim omnes conveniunt, idq; pretium unicuiq; suum statuit, si scias quanto usui hæc vel illa merces tibi sit & quantopere ea indigeas. Indulgentia itaque valorem ponit, qui deinde ad numum exigitur, & ita permutatio instituitur.

XLI. Atque hoc pacto manifestum jam est quousque jus talionis acceptari possit & debeat. Imo ostendimus etiam hac occasione, quomodo omnis permutatio instituenda sit: unde natura justitiæ commutativæ rectius adhuc intelligi potest. Nunc pergamus dicere de justitia.

XLII. Explicavimus hactenus utramq; ejus speciem. Videndum ulterius jam est de nonnullis quæ utrique competunt & propria sunt, explicari vero prius non potuerunt, ut primo de ratione medii in quo justitia consistit, deinde cum

jus non uno modo dicatur alias, & sit vel œconomicum vel civile, aperiendum quoque est, de quo hic præcipue sermo sit, tertio docendum quodnam discrimen sit inter jus sive justum & justefactum, quarto explicandum quid intersit inter injuriam facere & injustum esse, ac deniq; quid differat æquum bonum ab ipsa justitia. De his ergo ordine dicamus.

XLIII. Est autem justitia medium quidem inter duo extrema, ut & reliquæ virtutes omnes, at non eodem modo: illæ enim mediæ sunt inter duo vitia sive duos habitus vitiosos, hæc vero non item, sed tantum inter plus & minus quod in una eademq; actione est. Unde etiam id contingit quod injustitia unum tantum vitium sit quæ ei opponitur: Est enim simul & ejus quod nimium est, & ejus quod parum, cum una & eadem actione deficiat injustus pariter & excedat modum. E.g. qui injuste agit in vendicanda sibi pecunia, plus sibi capit, quam decet, & minus quam oportet relinquit alteri. At qui justus est nec plus sibi capit quam decet, nec minus quam decet alteri relinquit. Longa autem alia ratio est in cæteris virtutibus & vitiis: qui enim v.g. temperanter agit, ille quidem & ipse nec deficit nec modum excedit: at qui peccat in temperantiam, ille simul deficere & modum excedere non potest, sed id fit duabus diversis imo contrariis actionibus. Quare etiam duo diversa & contraria vitia sunt eorum qui à temperantia exorbitant.

Cap. VI.

XLIV. Jus porro hic intelligimus politicum, sive illud tantum, quod est simpliciter tale & inter illos quorum est societas ejusmodi, ut ex ea suppetere possint omnia, quibus ad vitam degendam opus, ipsi autem sint homines omnes liberi & æquales sive proportione sive numero.

XLV. Talis societas est, in qua communibus legibus omnes tenentur. Hic injustitiæ locus est proprie, hic injuriæ: plus enim sibi boni & minus mali tribuere quam alteri injustum est.

XLVI. Jus autem quod est domini in servum, mariti in uxorem, vel parentum in liberos huc non quadrat: nec vero nisi per similitudinem quandam & analogiam ita vocatur. Indicio est quod nec injuria in his proprie locum habet, cum servus possessio aliqua domini sit, & liberi quamdiu adhuc sunt parvi, etiã quasi pars quædam parentum, in sua vero nemo injustus esse proprie & absolute possit. Nec inter maritum & uxorem politicum jus est, quanquam hoc propius quam reliqua illa ad id accedit, sed œconomicum potius dici solet.

Cap. VII.

XLVII. Cæterum jus civile illud aliud est naturale, aliud legitimum. Naturale est quod ubique gentium eandem vim obtinet, nec ideo valet quia aliquid ita decretum sit, vel non decretum. Legitimum, quod ab initio hoc an illo modo fiat nihil refert, at quando constitutum jam est tum refert. Prioris exemplum est: Non furari,

poste-

poſterioris: Fures ſuſpendere. Illud immutabile eſt, hoc vero mutabile: illud enim à natura eſt, hoc ab hominibus conſtitutum. Quanquam non ita plane immutabile, ut non interdum & cum certo reſpectu aliter atque aliter ſe habeat: fieri enim poteſt etiam ut quædam gentes tam barbaræ ſint, quæ ſicut naturam hominis ipſam exuerint quodammodo, ita quoque id non obſervent quod apud omnes alias obſervari ſolet. Nec obſtat quod quæ à natura ſunt mutari non poſſe videantur: hoc enim etſi plerumque contingit, interdum tamen fallere poteſt. Exemplo ſit dextra manus hominis. Hæc natura plerumque validior eſt ſiniſtra: contingit tamen, ut quidam utraque æque valeant & ſint ἀμφιδέξιοι. Tantum eſt de jure.

XLVIII. Discrimen autem magnum eſt inter jus ſive juſtum & juſtefactum ut inter injuſtum ~~juſtum~~ & injuſte-factum ſive injuriam: jus enim eſt quod natura vel conſtitutio quædam humana docet agendum eſſe, juſte-factum, ſi id in vita agatur.

CAP. VIII.

XLIX. Adde quod quæ juſte vel injuſte fiunt in iis ratio habetur ſpontanei & inviti, neq; non an ex proæreſi profecta ſint, an facta ſine proæreſi, quæ omnia ad jus ita non attinent. Sic juſtum eſt depoſitum reddere. At ſi quis id reddat invitus & metu coactus, juſte tamen non facit niſi per accidens, quatenus ſcilicet id facit, quod ſi alter ſua ſponte faceret juſte utiq; fieret. Ita verberare

berare alterum, hominem liberum, injuſtum eſt. Sed ſi ab ignorante id factum ſit & inopinato, infortunium vocatur, ſin vero non inopinato quidem at nec maltioſe tamen, peccatum ſive erratum. Injuſte autem factum ſive injuria tum demum cenſetur, quum ſciens quis fecit ſive ira ſive alio adfectu commotus. Aliud ergo eſt injuſtum & aliud injuſte factum. Quare nec jus & juſte factum idem erunt. Atque hoc ita ſe habet.

L. Verum enim vero differunt etiam injuſte ſive injuriam facere & injuſtum eſſe. Injuria enim, ut diximus, & injuſte factum dicitur omne quum ſciens quis lædit alterum commotus ab adfectu aliquo, licet animo deliberato id non faciat. At ob tale factum nemo injuſtus ſtatim habetur, ſed tum demum ſi conſulto & deliberato animo ſimile quid perpetrarit.

Cap. IX.

LI. Sed ut rectius adhuc intelligatur quod dictum ſupra eſt de injuſte-facto ſive injuria, quæri jam hic poteſt an etiam volenti fiat injuria, & an ipſe ſibi quis injuriam facere poſſit? Nam certe incontinens dum ſciens ſectatur voluptates malas ſponte ſua ſibi ipſi nocet. Quod ſi igitur qui ſponte & ſciens nocet aut lædit quenquam, is injuriam facit, utiq; hic ſibi ipſi & quidem volenti injuriam facit. Sed reſpondendum eſt, quod ſupra dixerimus injuriam tum demum fieri, ſi ſciens & ſponte quis quenquam lædat, eam non eſſe perfectam injuriæ definitionem,

ſed

ſed adjici hoc debere, ut fiat id contra voluntatem ejus qui læditur.

LII. Quod ſi obſerves, jam id conſtabit, poſſe quenquam lædi quidem volentem, & lædere etiam ſeipſum, at injuria volentem non adfici, neque à ſeipſo quenquam. Nam etiam incontinens etſi ſibi ipſi nocet, tamen nec nolens hoc facit, ſed malit aliter agere dummodo per vehementes perturbationes, quas domare non poteſt, liceret. Et ſimilis ratio eſt, ſi quis plus tribuat alteri quam quo dignus eſt, ſibi vero minus relinquat: nocet enim hic talis ſibi, at injuriam non facit, cum velit ita facere.

LIII. Atq; ex his omnibus jam manifeſtum eſt, quid revera ſit injuſtè factum ſive injuria & quid injuſtum eſſe, quid item juſte facere & quid juſtum eſſe. Unde jam id colligere in promptu eſt, quid de quorundam opinione ſtatuendum ſit, qui putant facile eſſe juſtum fieri & eſſe, quia & injuriam facere proclive ſit, ac deinde quia jura cognoſcere nullam quoque difficultatem habeat. Oppido enim errant, quum exiſtimant injuriam facere perinde eſſe atque injuſtum eſſe, & per conſequens etiam juſta agere idem atque juſtum eſſe: tantum enim inter hæc diſcrimen eſt, ut nullum eſſe majus poſſit. Nam qui injuriam ſemel fecit, aliter agere deinde poteſt: at qui plane injuſtus eſt, agere aliter nequit. Sic etiam juſta agere facile eſt, at juſtum eſſe difficile: hic enim ſemper illa agit & eo modo quo agere decet, id eſt, ex voluntate & electione.

LIV. Quod autem proclive eſt cognoſcere quid

quid justum sit, id parum quoque ad rem facit: longe enim differunt, ut supra ostendimus, ipsum jus & juste-factum. Exemplo sit medicus. Hic si sciat quid salubre sit, quidque huic vel illi morbo medeatur, parum illud adhuc rem ægri juvat. At si adhibere remedia ea possit quæ novit, illa quantitate, illo tempore, tot vicibus quo & quot convenit atque ex usu est, id demum ad profligandum morbum aliquid conferet, imo hoc tam arduum est, quam est esse medicum.

CAP. X.

LV. Et hæc quoque hactenus. Superest ut de Æquo & bono dicamus. Hoc autem neq; idem plane cum jure esse videtur, neque toto tamen genere ab eo diversum esse potest. Non est idem omnino, cum moderamen aliquod juri adhibeat & ei etiam sæpe præferatur. At nec toto genere diversum, cum in iisdem versetur in quibus est jus, & laudabile quidpiam sit. Sed quid est ergo inquies? Si enim non est genere diversum à jure, erit jus quoddam, at si jus est, quomodo melius quid est jure? Respondeo jus esse, sed non illud legibus comprehensum aut scriptum, verum ejus correctionem quandam. Corrigi autem illud interdum potest, & debet, quia cum universaliter & generaliter tantum de rebus definiat, fieri potest ut de certis casibus durius loqui interdum videatur, vel plane nihil definierit, ubi certe ex æquitate jus illud interpretandum, vel si quid desit, ei addendum est.

LVI. Quod

LVI. Quod vero leges correctione aut supplemento sæpe opus habeant, id non fit vitio ipsarum, aut legislatoris culpa, sed hoc in rebus de quibus feruntur situm est: hæ enim cum infinitis modis varient, leges non usque adeo exacte omnia definire possunt, ut nihil emendandum aut supplendum reliquum faciant.

LVII. Hoc ergo qui facit, quiq; ubi lex deficit ibi non tam illa nititur, quam eo quod alias viris optimis & prudentibus æquum videtur, vel qui de jure suo sponte interdum concedit alteri, potius quam ut stricte omnia persequatur, is æquus & bonus vocatur, habitusque quo talis est, æquitas. Tantum etiam de æquo bono.

CAP. XI.

LVIII. Atque ita explicatum jam est quid sit justitia, quid Jus, adeoque omnes species virtutum moralium seorsim contemplati sumus. Nunc pergendum nobis est ad virtutes intellectivas: nam quod hic in fine Aristot. denuo disputat, An sibi ipse quis injuriam facere possit? id quia jam supra ventilatum est, de industria prætermittimus.

COROLLARIA.

1. *Quum dicitur th.27. justitia commutativa non habere rationẽ personarum hoc ita accipiendum est, quod non attendat dignitatem earum eo modo quo justitia distributiva, nõ quod in universum circumstantiæ illius nullam curam habeat. Nam id fieri nequit: consistit enim ut omnis*

omnis virtus alia, ita & justitia commutativa in mediocritate ea quæ ad nos est, hæc autem nulla esse potest, nisi inter alias circumstantias personam quoque respicias. Sic in liberalitate, magnificentia, modestia &c. nunquam recte medium accipiet, qui personæ conditionem non attenderit.

2. *Quod qui observarit is etiam intelliget, fieri recte posse, ut interdum benemeriti & virtute præstantes, si quid deliquerint, mitius puniantur quàm alii, utut in justitia commutativa proportio Arithmetica adhibeatur, non Geometrica, & illa id tantum agat ut simpliciter lucrum & damnum ad æqualitatem redigatur. Etsi enim simpliciter tam virtute præstans quam quivis alius, si cui injuriam faciat, plecti tantum contra debet, quantum injuriæ alter ab ipso accepit (quod justitiæ commutativæ est, neq; huc quidquam facit personæ ejus conditio) tamen fieri potest primo ut etiamsi ille minori pœna adficiatur quam vulgo alii solent, ea nihilominus ipsi æque gravis sit atque alia alii, imo vulgaris illa gravior ipsi sit quam vulgo est. Ita mitior pœna est nebuloni castigari quam capitis supplicium luere, sed viro nobili castigari æque gravis pœna sit quam illi capite plecti. Fieri itaque potest, ut vir præstans etiam quando mitiori pœna adficitur, æque graviter puniatur atque alius qui simile quid deliquit. Deinde etiam ille, qui vitam semper honeste cum primis egit, non fecit tantam injuriam sæpe quanta vulgo videtur: lapsus enim est per imbecillitatem humanam, itaque fecit, quod alii qui nequiter semper vixerunt, deliberato animo fecerant. Quod si ita se habeat, jam utut factum videatur esse idem & æque grave atque aliorum tamen non est, cum multum intersit quo animo quis quid fecerit, & semel an sæpius idem perpetrarit &c. Quamobrem*

utut immotum sit jus illud, tantum pœnæ infligendum esse ei qui nocuit alteri, quantum is alteri damni intulit, neque hoc, ut dixi, mutare ullius personæ conditio poßit, tamen pœnæ qualitatem (qualitatem, inquam, non quantitatem) conditio personæ mutare, & præterea etiam quanta sit injuria alteri facta, eadem sæpe definire potest. Quorum prius quamdiu ratum est proportio Arithmetica non violatur, posterius vero ad eam nisi per accidens nihil facit.

3. *Absurdus sine dubio est Ioan. Bodinus, quando lib.* VI. *de rep. c.* VI. *docet justitiam distributivam administrandam esse non secundum proportionem Geometricam sed Harmonicam sive Musicam. Primo enim nec recte describit Musicam proportionem, deinde oppido fallitur quum dicit, Geometricam ex rationibus magnitudinum inter se millium conflari inæquali excessu, Arithmeticam usq; quaq; & progreßione & excessu æqualem esse, Harmonicam vero ex utrisq; inter se artificio mirabili confusis & colligatis utrique tamen dißimilem existere. Neque enim eadem est differentia in numeris Harmonicam proportionem habentibus, ut in Arithmetica, nec eadem proportio, ut in Geometrica. Quare falsum est, Harmonicam quidquam habere confusum ex utraque, quod tamen ille putat & fundamentum theseos suæ ponit. Denique utut concedatur omnia hæc recte dici, tamen ubi ea ad institutum accommodanda sunt, hæret tantum in terminis generalibus, imo voculis metaphoricis concentus, temperamenti & similium. Quod autem de connubiis Romanorum adfert, quæ discreta primum fuerint patritiorum & plebejorum, sed promiscua postea, hoc quantum roboris ad id quod ille vult ostendendum habeat proclive est unicuiq; intelligere.*

Dispu-

DISPUTATIONUM ETHICARUM VI.

De PRUDENTIA CÆTERISque mentis habitibus.

Ex VI. Lib. Ethic. Ariſtot.

Reſp. JOHAN. MAXIMILIANO zum Jungen Francof.

THESIS I.

CAP. I.

VIRTUTES morales hucuſque explicavimus. Diximus autem jam ab initio, quod poſtea in ſingulis quoque ſpeciebus patuit, ipſas omnes in mediocritate conſiſtere, & hanc definiri à recta ratione, ſive ita ut vir prudens eam definiat. Quæ igitur ſit iſta recta ratio deinceps videndum eſt.

II. Et excutiendi quidem nobis ſunt omnes rationis ſeu mentis habitus, ut quam nos quærimus rectam rationem inveniamus. Namque & hoc ipſum jam pridem nobis conſtat, eſſe præter morum habitus, qui ſunt ipſæ virtutes morales, habitus alios, qui mentem perficiant, & virtutes intellectivæ ſive dianoeticæ dicantur.

III. Duæ autem ſunt rationis, ſives ejus animi noſtri partis, quæ rationalis eſt per eſſentiam, partes, una, qua contemplamur ea, quorum principia aliter ſe habere non poſſunt, verita-

temque eorum indagamus, altera, qua cognoscimus, quæ aliter se habere possunt, & de iis agendis aut efficiendis ratiocinamur. Nam res hæ cum genere diversæ sint, diversas quoq; animi partes esse, à quibus cognoscantur, oportet, siquidem per assimilationem quandam & unionem facultatis percipientis & rei percipiendæ unum quodque percipitur.

IV. Illam τὸ ἐπιστημονικόν vocat Aristot. quod sit eorum, de quibus scientia habetur: hanc τὸ λογιστικόν, quod rationes subducat: idem enim est, consilium de re capere, & rationem subducere. Vulgo illa intellectus theoreticus, hæc practicus dicitur.

CAP. II.

V. Porro autem tria sunt in animo, quæ summam potestatem habent in actione & veritate, sensus, mens, appetitus. Inter hæc vero sensus quidem nullius actionis principium est, ut hic vocabulum actionis accipimus: quod videmus in brutis, quæ etsi sensu prædita sunt, actione tamen non communicant, cum factum absque ratione non sit πρᾶξις sive actio.

VI. Est autem in appetitu persecutio & fuga, quod in mente est affirmatio & negatio.

VII. Quare cum morum virtus sit habitus cum electione conjunctus, electio vero appetitus cum deliberatione, & rationem veram, & appetitum rectum esse oportet, ut electio bona sit: eadem enim illam dicere, hunc persequi, necesse est.

VIII. Atque hæc mens & veritas activa eſt, ſive actiones dirigit: quamquam enim omnis mentis bonum ac malum ſit verum & falſum, mentis tamen ſpeculativæ bonum & malum veritas & falſitas ſimpliciter ſunt, mentis vero activæ bonum veritas conſentanea appetitui recto: hæc enim ad aliud ordinatur, & alicujus gratia eſt, illa ſpeculativæ mentis veritas non item.

IX. Et hoc commune habet mens activa cum effectiva ſive effectrice, quod alicujus gratia ſit: ſed in eo differt ab eadem, quod ejus operatio ſibi ipſa finis ſit, non tendat ad aliud uti mentis effectricis operatio: effectio enim præter ſe aliud aliquid intendit, cujus gratiâ eſt, non autem actio. Dicam clarius, mens activa eſt quidem alicujus gratia: ratiocinatur enim, ut agat: ſed quando agit bene, jam in eo ipſo acquieſcit, & perfectionem ſuam conſecuta eſt: effectrix autem mens non tantum alicujus gratia eſt & ratiocinatur propter effectionem ad quam ipſa, ut activa ad actionem, ordinatur, ſed effectio iſta & ipſa alius gratia eſt.

X. Quare utriusq; mentis ſive partis animæ rationalis opus eſt veritas, & proinde quibus habitibus utraque maxime veritatem dicit, ii oportet ut ſint ambarum virtutes.

Cap. III.

XI. Cæterum habituum hujusmodi quinque numerantur: Scientia, Prudentia, Ars, Intellectus, Sapientia. Nam opinio & illa quæ eſt

cujusque de rebus exiſtimatio, ſive ὑπόληψις, ut vocant, in hunc cenſum non veniunt: in illis enim veritas non ſemper reperitur.

XII. Eſt autem ſcientia, ſi accurate loqui velis, rerum neceſſariarum atque æternarum. Ita enim omnes ſtatuunt, ea quæ ſcimus aliter ſe habere non poſſe. Quæ vero aliter ſe habere nequeunt, ea neceſſaria & æterna ſunt. Acquiritur deinde diſciplina & doctrina. Omnis autem doctrina ex præcognitis eſt: vel enim inductione vel ſyllogiſmo comparatur, inductione quidem doctrina principiorum, ſyllogiſmo doctrina omnium quæ ex principiis deducuntur. Scientia ergo, quia ex principiis rem cognoſcit, habitus eſt, qui ſyllogiſmo demonſtrativo cauſam & veritatem rei inveſtigat, ſive, ut in Poſt. Analyt. definitur, qui demonſtrat concluſionem neceſſariam ex veris, neceſſariis, primis immediatis, prioribus notioribus, & cauſſa concluſionis.

CAP. IV.

XIII. Tale quid ſcientia & talium rerum eſt, id eſt neceſſariarum. Earum autem, quæ neceſſariæ non ſunt, ſed aliter atque aliter ſe habere poſſunt, quædam ſub effectionem cadunt, quædam ſub actionem. Græce ποιητὰ καὶ πρακτὰ dicuntur: Nam certe differunt efficere & agere, effectio & actio, ut & ſupra oſtenſum.

XIV. Earum quæ efficiuntur habitus eſt Ars. Quare hæc definitur quod ſit habitus quidam cum recta ratione effectivus.

XV. Cæ-

XV. Cæterarum habitus eſt Prudentia, & definitur ea habitus cum recta ratione activus, ſive qui ſecundum veram & rectam rationem agit illa quæ homini bona ſunt & vitam hanc decent ac juvant.

CAP. V.

XVI. Eſt autem magnum discrimen inter prudentiam & ſcientiam atque artem. A ſcientia quidem differt, quod illa ſit rerum neceſſariarum, & quarum principia aliter ſe habere nequeunt, ut prudentia vero contingentium, & earum, quarum principia mutari poſſunt. Ab arte vero quod diverſum genus ſit actionis & effectionis: hujus enim alius ſemper, ut diximus, finis eſt: illa vero ſæpe finis ſibi ipſa.

XVII. Et hinc eſt, quod prudentes vocamus omnes, qui ea quæ ad vitam noſtram ſpectant recte gerunt, quidque ex uſu ſit generis mortalium, diſpicere ac providere poſſunt. Hinc item temperantia Græcis vocatur σωφροσύνη, quaſi dicas conſervatricem mentis & intelligentiæ: cum enim intemperantia ſive voluptas atque dolor notitias illas, quas quisq; habet de vita recte inſtituenda, corrumpat ac tandem plane etiam aboleat, temperantia eas conſervat. E.g. qui ſobrie & temperanter vivit, is quotidie ſe magis magisque confirmat in ea ſententia, *Non ſemper indulgendum eſſe aut dolori aut ei quod volupe eſt, ſed utrumq; animo ejiciendum, ubi honeſtati adverſetur.* At qui luxu & delitiis jam perditus eſt, ille ut non cogitat unquam vel raro admodum de hone-

ſtate & iis quæ decent ita etiam fit, ut paulatim ex animo ejus omnis recta de rebus opinio tandem deleatur.

XVIII. Quod tamen cum dicimus, obſerva de notitiis tantum nos loqui, quæ ad vitam recte agendam faciunt, (namque & hoc addidimus) non de illis, quæcunque theoretica ſunt: horum enim talium cognitio vita intemperanti & diſſoluta non labefactatur. Ita triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales ſcire etiam intemperantiſſimus mortalium poteſt: de hac re enim nihil vetat quin cogitet, & quod didicit, memoria recolat, etiam tum, quum genio maxime indulget, quod tale quid non refragetur ejus inſtituto, nec ab illo hominem abſtrahat. Sed hæc obiter, pergamus oſtendere differentiam inter prudentiam & artem.

XIX. Differunt autem hoc etiam duo illa, quod ars ſæpe indiget virtute morali aliqua ad recte perficiendum opus ſuum: fieri enim poteſt, ut vel propter invidiam, vel avaritiam, vel injuſtitiam artifex opus non recte & quam bene poterat fabricet; prudentia vero non item: hac enim ipſæ virtutes morales potius indigent, cum ſine ea eſſe nequeant, & hanc tanquam dominam agnoſcant. Adde quod non eadem ratio ſit peccatorum & erratorum in arte quæ eſt in prudentia: in arte enim qui peccat voluntariò, is melior eſt quam qui invitus peccat: at qui in prudentiam delinquit, melior eſt, ſi invitus id, quam ſi voluntario fecerit.

CAP.

Cap. VI.

XX. Ita discriminatur prudentia ab arte & ſcientia. Nunc de cæteris habitibus duobus dicamus. Intellectum autem vocamus habitum principiorum ſive eum quo principia prima & indemonſtrabilia cognoſcimus. Cum enim omnis ſcientia de univerſalibus ſit, & iis quidem quæ per principia demonſtrantur, ipſorum principiorum habitus illa eſſe non poteſt. At neque ars, neque prudentia, neque ſapientia principiorum ſunt. Non ars aut prudentia, quia utraque rerum mutabilium eſt, cum principia tamen ſint neceſſaria. Nec ſapientia, eſt enim & ſapientis de quibusdam demonſtrationem habere. Quare peculiaris hic aliquis habitus eſt, quem Ariſtoteles, cum alia voce deſtitueretur, intellectum dixit.

Cap. VII.

XXI. Poſtremo ſapientia habitus eſt ex ſcientia & intellectu compoſitus: ille enim ſimpliciter & abſolute ſapiens dicitur, qui & rerum maxime divinarum ac honorabilium cognitione præditus eſt, & præterea exactiſſime omnia callet. Prius eſt ſcientiæ, poſterius intellectus.

XXII. Diſtinguitur à prudentia, quod ipſa ſit rerum multo honorabiliorum quam ~~ſapien-~~ pruden tia: hæc enim circa hominem tantum & res humanas occupata eſt, homo vero honorabiliſſimum in natura non eſt. Imo prudentia conſultat & ſolicita eſt de iis, quæ vitæ ſalutaria ſunt: at ſapientia circa illa verſatur, de quibus

consultari nequit. Denique prudentia non tantum universalium est, sed etiam ad singularia descendere opus habet: nam ut ad valetudinem conservandam non sufficit scire, omnes carnes leves esse salubres, sed scire id quoque oportet, has vel illas carnes esse leves; ita etiam in prudentia res se habet; activa enim est, actio vero est in singularibus: quæ omnia sapientiæ nullo modo competunt.

XXIII. Et hinc est quod Anaxagoram, Thaletem, & horum similes, sapientes olim non prudentes vocarunt: judicabant enim eos admiranda quidem & cognitu difficilia, imo divina scire, sed ignorare tamen quæ ad vitam recte & feliciter degendam facerent.

CAP. VIII.

XXIV. Tale quid ergo est prudentia: quæ quidem cum civili doctrina unus & idem habitus est, nisi quod ratione differunt, ut virtus quoque & justitia universalis: prudentia enim vulgo existimant, quum ea quis intelligit & consulere potest, quæ in rem suam ipsius sunt, at doctrina sive scientia civilis ea curat quæ prosunt publice.

XXV. Sed unus & idem, ut dixi, habitus est: neque enim sua ipsius quoque administrare quis recte potest, nisi & civilis doctrinæ cognitionem aliquam habeat, cum quisque civis reipub. ad commune & publicum bonum omnia sua referre, & ad id tanquam in convivio quodam symbolum suum conferre teneatur.

XXVI. Dis-

XXVI. Distribuitur autem civilis doctrina in duas quasi species, in eam quæ leges condit, secundum quas vivatur atque respub. gubernetur, & eam quæ ex legum præscripto singula administrat: illa νομοθετική Græce dicitur, hæc communi nomine πολιτική. Νομοθετική architectonica est, πολιτική vero ei subordinatur: ad illius enim præscriptum hæc se comparat.

XXVII. Πολιτική porro dividitur vicissim in eam quæ consultat, & eam quæ judicia obit. Et hæ sunt species seu partes prudentiæ.

CAP. IX.

XXVIII. Cæterum sunt & alii quidam habitus ad fines prudentiæ, quorum beneficio illa munus suum exequitur: de quibus paucis etiam hic dicendum erit. Sunt autem hi: Bona consultatio sive εὐβουλία, sagacitas Græce σύνεσις, & æquitas sive γνώμη.

XXIX. Est vero bona consultatio neque scientia quædam, neque conjectatio bona, neq; ἀγχίνοια quædam, neque opinio. Non scientia, quod de iis quæ scimus nemo consultat; non conjectatio bona, hæc enim sine ratiocinatione fit, & velociter præterea, cum consultatio accurata ratiocinatione & longo tempore opus habeat: non ἀγχίνοια, est enim hæc quædam conjectationis species. Sed nec opinio: consultare enim & opinari diversissima sunt.

XXX. Nihil ergo horum est, sed rectitudo quædam, non quidem scientiæ: hæc enim sibi ipsi rectitudo est, neq; opinionis, cũ hujus rectitudo sit

ſit veritas, ſed conſilii. Conſilium autem de quibus capiatur, jam ſupra dictum eſt.

XXXI. Præterea quia nemo judicatur recte conſultare, niſi propter boni alicujus adeptionem id faciat, & quidem niſi adipiſci illud ſtudeat ea ratione & modo quo decet, oportet ut bona conſultatio omnis finem propoſitum habeat bonum quid, & graſſetur ad eum mediis, quibus decet ac honeſtum eſt.

XXXII. Denique cum fieri poſſit ut quod alius diu nimis conſultando adſequitur, idem alius adſequatur celeriter, bona conſultatio eſt quæ præter illa ſupra dicta non nimis longum quoque tempus poſtulat, &, ut verbo omnia comprehendam, quæ ad id, quod bonum ſive utile eſt, obtinendum, eo modo & tempore, quo obtineri debet, accommoda eſt.

XXXIII. Hæc eſt bona conſultatio, quæ quidem vel abſolute & ſimpliciter talis eſt, ut quum de fine & bono univerſæ vitæ humanæ recte conſultamus & ſtatuimus, vel ſecundum quid, ut quum ad certum aliquem & peculiarem finem deſtinatur conſultatio. Hactenus de bona conſultatione.

CAP. X.

XXXIV. Sagacitas vero nec ipſa eſt aut ſcientia, aut opinio. Sed neque prudentia ipſa. Non ſcientia aut opinio, alias omnes rei cujusquam ſcientes, aut opinãtes quid de re quapiam, ſagaces eſſent, quod falſum. Adde quod in iis verſatur de quibus dubitari & conſultari poteſt, quod ſcientiæ non competit. Nec prudentia: hæc

hæc enim pręcipit quid agendum ſit, quod omittendum, cum ſagacitas percipiendi tantum ea quæ præcipiuntur vim habeat.

XXXV. Nam ut ſe habet diſcipulus, qui quę magiſter docet recte & facile percipit, deque iis bene judicat, ita in rebus agendis ſe gerit ſagacitas, facile percipit & recte judicat de iis quæ invenit & præcipit prudentia. Tale quid eſt ſagacitas: unde quoque eſt quod Græce σύνεσις vocetur, Latine docilitas: συνιέναι enim Græcis diſcere eſt. Tantum etiam de hoc habitu.

Cap. XI.

XXXVI. Poſtremo æquitas habitus eſt quo recte judicamus de eo quod æquum & bonum eſt. Hic mentis habitus reſpondet τῇ ἐπιεικείᾳ ſive æquitati illi quæ in appetitu ſenſitivo eſt, & ſuperiori diſputatione explicabatur: æquitas enim ut mentis habitus eſt recte judicat quid æquum ſit, at ut eadem eſt habitus morum, proclivem reddit animum ad agendum quod tale eſt.

Cap. XII.

XXXVII. Atque hi ſunt habitus illi, comites individui reginæ prudentiæ. Verum hic jam dubitare quis poſſit de prudentia in univerſum, an etiam conducat quidquam ad id, ut quis bonus ſit & virtute præditus, cum ſcire, quid virtutis ſit, neminem bonum efficiat magis quam cognitio ſanitatis ſanum? ſed reſponſio facilis eſt, veram prudentiam nunquam eſſe ſine virtute morum, adeoque ipſam virtutem ſecum trahere: nudam vero illam cognitionem eorum

quæ agenda ſunt, deſtitutam actione ipſa, vel tendentem ad malum finem, aſtutiam non prudentiam appellandam eſſe. Nam ubicunque non eſt electio bona, ibi nulla eſt prudentia. Electionem vero recta efficit virtus: hæc enim appetitum ita conſuefacit, ut in bonum feratur & perſequatur quod rectum eſt. Quare ſine virtute prudentia non eſt.

XXXVIII. Ubi tamen obſerva loqui nos, ut antehac ſemper, etiam nunc de prudentiæ habitu, non de potentia naturali, quæ in animo eſt ad prudentiam, quæque nomen ejus vulgo mentitur, & Græce δεινότης Latine ſolertia dicitur: hanc enim eſſe ſine virtute quid prohibet? cum ipſa non magis ſit vera prudentia, quam nativa illa indoles, qua alii ad temperantiam, alii ad fortitudinem, alii ad aliam virtutem propenſi ſunt, vera aliqua virtus.

Cap. XIII.

XXXIX. Prudentia itaque virtutis & rectarum atque optimarum actionum quaſi mater quædam eſt, nec invenitur quin conjunctam habeat morum honeſtatem, ut & contra nec honeſtas morum eſt ſine illa: præſcribere enim prudentia debet quid agendum ſit, virtus moralis quod præſcriptum eſt exequi. Fieri autem hoc non poteſt ad eum modum quo dominus ſervo præcipit quid fieri velit, ſed ita, ut in eodem ſubjecto ſit facultas pręcipiens & exequens præceptum: alias enim ut ſervo non tribuitur quod juſſu & imperio domini recte facit, ita nec

nec virtus ejus laudatur qui ex alterius præſcripto bene vivit. Et hinc forte virtus rectius dicatur habitus, quo *cum* recta ratione agimus, quam, quo *ſecundum* rectam rationem.

XL. Ita ſe res habet de virtute morali & prudentia, tamque arcte unitę & connexæ ſunt, modò de vera prudentia & vera virtute morali loquaris, non de potentiis illis naturalibus, quas ad utramque natura nobis indidit. Imo ſi ita rem conſideraveris, etiam ipſas virtutes morales inter ſe non minus colligatas eſſe deprehendes: nam ut omnes tanquam ducem ſequuntur prudentiam, ita & penes quem illa eſt, penes eum erunt & hæ univerſæ, cum una illa ſit, & nulla virtus ſine ea perfecta eſſe queat. Atque hactenus de prudentia.

DISPU-

DISPUTATIONUM ETHICARUM VII.

De HEROICA VIRTUTE, CONtinentia & tolerantia.

Ex VII. Lib. Ethic. Aristot.

Resp. JOHAN. STRAUCHIO Brunsuicensi.

THESIS I.

CAP. I.

DE virtutibus non morum tantum sed & rationis, præsertim vero prudentia dictum hucusq; est. Verum quia in moribus tria fugienda sunt, Vitium, Incontinentia, Feritas, perfecta non potest esse de iis tractatio, nisi cognita jam natura cæteræ virtutis ejusq; speciebus, quæ vitio adversatur, de continētia quoq; & illa insuper virtute, q̄ feritati opponitur, aliquid agamus.

II. Dicimus autem feritatem sive immanitatem, si quis vitiis ita exsuperet, ut jam non homo esse amplius sed in belluam degenerasse videatur. Quæ pravitas certe non simpliciter tantum vitium est, sed plus quam vitium, quod communem vitiorum naturam supergreditur.

III. Opponitur ei virtus heroica sive ea virtutis excellentia, quæ possessorem suum in ipsum Divorum numerum transcribit. Quanquam enim in Deum proprie non cadit virtus, ut nec in feras

feras vitium: tamen quemadmodum vitia, quæ communem hominum pravitatem superant, ferina dicimus; sic etiam virtutem, quæ supra hominem esse censetur, divinam appellamus.

IV. Heroica vero dicta est ab heroibus, quo nomine indigitamus homines sine exemplo summos, quique ad id fastigium virtutis conscenderunt, ad quod raro mortalium quisquam pervenit.

V. Hæc est heroica virtus, plus scilicet aliquid quam virtus alias. Neque ea longiori explicatione opus habet, cum cognita virtutis natura facile intelligatur. De feritate etiam postea dicendi locus erit.

VI. De continentia autem agendum pluribus est. Hæc enim & ipsa neque eadem plane est cum virtute, neq; tamen genere diversa: & multa sunt quæ de ea merito in controversiam vocari possunt. Continentia deinde explicata, liquebit, etiam de Tolerantia, quæ adfinis ei est, eodemque quo ipsa pacto à cæteris virtutibus distinguitur; utraque enim dispositio quædam ad virtutem est, non ipse virtutis habitus, ut suo loco manifestum erit.

VII. Principio igitur constat & in confesso apud omnes est, continentiam esse bonum quid & laudabile, incontinentiam vero contra pravam & vituperandam. Vnde id patere potest, continentiam si non virtutem ipsam, saltem affinem ei: adfectibus enim aut potentiis naturalibus annumerari non posse manifestius est quam ut probari debeat.

VIII. Verum quæ ſit ejus natura & eſſentia dubium valde eſt, nec de hac ſtatui quidquam poteſt, niſi iſtæ prius expediantur controverſiæ, primo, an continentia recte à quibusdam olim deſcripta ſit perſeverantia in concepta de rebus opinione? ſecundo, ſcienterne agat incontinens an inſciens? tertio, quid differat continentia à temperantia & incontinentia ab intemperantia? quarto; an in prudentem etiam cadat incontinentia? & quinto denique quodnam ſit objectum continentiæ, an omne quod cæterarum & perfectarum virtutum (hæc enim ſemivirtus & virtus imperfecta vocari vulgo ſolet) cum incontinentia quædam lucri, quædam iræ ſit &c. an vero idem quod temperantiæ tantum? De his, inquam, quæſtionibus omnibus videndum eſt, ut continentiæ naturam recte perſpiamus.

CAP. II.

IX. Antequam autem ad rem accingamur, adferre velitationis quaſi loco quædam initio libet, ex quibus appareat, quid in utramque partem diſputari de illis poſſit. Primo vero non ſine cauſſa Socrates arbitratus eſt, neminem agere quod ſciat malum eſſe, cum ſcientiæ tanta vis ſit, ut qui per eam recte de re ſentiat & judicet, prave agere adeoque à ſua ipſius ſententia abire vix poſſe videatur. Et tamen niſi hoc ſtatuamus, nulla plane eſſe poteſt incontinentia. Accedit, quod manifeſtum eſt eos quos incontinentes dicimus, priusquam ſurgant animo motus non ignorare pravum eſſe quod admittunt poſtea.

Qui

Qui ergo id post ignorant quod dudum optime noverant, aut quis est iste ignorantiæ modus? Nec vero quidquam ad rem, si dicas scientiam quidem non habere incontinentem (hanc enim esse validam) at opinionem tantum: nam si per opinionem denotas imperfectam cognitionem & infirmum adsensum, veniam meretur incontinens, quum non resistit cupiditatibus, quas malas esse non adeo certe sciebat. At veniam non meretur semper, sed judicatur sæpe prave egisse. Non ergo semper opinio illiusmodi tantum in eo fuit.

X. Verum si non opinio sed aliquid validius ea est in incontinente an erit prudentia? nihil enim validius ista est in homine quod ad res agendas & mores quid conferat. At neque hoc fieri potest: non enim prudens ea agit quæ prava sunt, cum omni morum virtute præditus sit, ut supra ostendimus.

XI. Porro nec continens est idem qui temperans: ille enim vehementes & pravas cupiditates habet quibuscum conflictatur, hic non item: vehementes, inquam, & pravas: nisi enim vehementes fuerint, non est magni pretii continentia, cum superare eas non sit difficile; nisi etiam pravæ, continentia mala sit, cum id quod bonum est sequi prohibeat.

XII. At nec continentia est perseverare in opinione quam semel de rebus conceperis: alias enim quædam continentia prava & quædam incontinentia bona esset: in falsa quippe opinione persistere pravum est, in bona non

permanere malum. Adde quod ea ratione ex imprudentia & incontinentia virtus oriri videatur: si quis enim per imprudentiam id statuat esse bonum quod malum est, fieri possit ut per incontinentiam ab ista opinione desciscat, & agat quod bonum est, itaque ex imprudentia & incontinentia actio bona proficiscatur.

XIII. Postremo nec circa universam virtutis materiam versatur continentia aut incontinentia: dicimus enim quosdam absolute incontinentes, nec omne genus incontinentiæ in quenquam cadit. Et hæc sunt quæ disputari de propositis quæstionibus utrinque possunt. Nunc de omnibus illius accuratius agamus & quid statuendum sit consideremus.

Cap. III.

XIV. Non est autem necessum sequi ordinem eum quo enumeratæ supra sunt: sufficit si de singulis tractemus, ut visum fuerit. Primo itaque resumatur illa, sciensne an inscius agat incontinens, & quomodo sciens agat? hæc enim omnium præcipua controversia est. Vbi nota, si dicas incontinentem agere scienter, nihil interesse an de vera scientia id intelligas, an de opinione tantum. Fieri enim potest ut quis tam certo persuaserit sibi id de quo opinionem solum aliquam concepit, quam cujus veram scientiam habet. Deinde & hoc observa, dupliciter dici nos aliquid scire, aliter ut is qui scientiam habet, aliter ut quis ea utitur, sive de eo quod scit actu jam

jam cogitat: multum enim iſta differunt, cum ſcientiam quis habeat etiam quum dormit, at non contempletur tamen. Deniq; nec hoc ignorandum eſt, propoſitiones in ſyllogiſmo practico duplices eſſe, alias univerſales, alias particulares: univerſalis eſt iſta & ſimiles: *Omnis cupiditas, quæ adverſatur honeſtati, fugienda aut compeſcenda eſt*, particularis vero iſtiusmodi: *Hæc eſt cupiditas, quæ honeſtati adverſatur*. Quæ quidem multum differunt, cum fieri poſſit, ut unam quis cognitam habeat qui tamen alteram ignoret, vel ut de una cogitet, de altera non item.

XV. Vbi tamen & hoc attende, univerſalem quoque illam propoſitionem dupliciter accipi poſſe, uno modo ut competit homini, qui cognoſcit illam, altero ut eſt in re ipſa: prioris exemplo eſto hoc: *Omni homini agendum in vita eſt quod honeſtum*: hujus enim particularis eſt iſta: *Hic eſt homo*. Poſterioris exemplum eſt propoſitio quam ſupra attulimus. Magnum autem inter has univerſales diſcrimen eſt: prioris enim particularis ignorari à nemine poteſt, at poſterioris poteſt.

XVI. His ſuppoſitis jam quæſtio facile enodabitur. Dicimus autem continentem ſcire partim quod agit, partim neſcire. Scire quidem, ut is qui ſcientiam habet, ſed neſcire, ut is qui non revocat ſibi ad animum quæ ſcit, nec actu nunc eorum quidquam contemplatur. Nam quid familiarius eſt, quam de iis quæ ſi recogites bene ſcis, interdum non cogitare, præſertim ſi aliud animo verſes? Hoc quidem tam certum eſt fieri,

ut ſæpe id etiam videamus uſu venire quod multo hoc mirabilius eſt: nam ubi animus cupiditate incenſus aliqua eſt, non tantum non excutimus ea quæ ſcimus, ſed etiam operam damus, ut illa quæ ſua ſponte ſæpe animum ſubeunt inde expellamus. Quid enim moleſtius iis, qui genio & libidini indulgent ſuæ, quam tum quum in Venere & vino ſunt præcepta temperantiæ audire? Cogitare nolunt de iis quæ avocatura ſe ab inſtituto ſuo & à voluptate ſciunt. At quare nolunt, niſi aliud illa ſuadere ſciunt, imo niſi aliud ſuadere jam cogitant? Non ergo abſurdum eſt, ſcire quenquam aliquid, de quo tamen non cogitet, imo nec cogitare interdum velit.

XVII. Atque ita incontinens partim ſciens agit, partim neſciens. Sed hoc rectiùs adhuc intelligetur, ſi & alteram diſtinctionem adhibeas: non tantum enim illud ideo fit, quia τὸ ſcire duplex eſt, ſed etiam quia propoſitiones quas ſcit, ſive potius ſcire debet, duæ ſunt. Scit autem univerſalem, neſcit particularem. Nam e.g. Omne turpe eſſe fugiendum non ignorat, & hoc etiam fieri poteſt, ut tum quum incontinenter agit, cogitet. At iſthoc quod agit eſſe turpe, id vero neſcit, vel certe non cogitat.

XVIII. Sic ſe habet incontinens, quum incontinenter agit. Cauſſam autem ejus rei ſi quæris, in promptu ſunt vehementes animi perturbationes: hæ enim faciunt, ut quod apprime ſciebat antea, id ignoret nunc, aut certe de eo non cogitet. Poſſe autem hoc fieri à perturbationi-

tionibus, manifeſtum ſatis inde eſt, quod idem ebriis, furentibus, imo dormientibus obtingat: dum enim animus vel ebrietate obrutus, vel furore correptus, vel ſomno tantum occupatus eſt, non cogitat quod alias bene ſcit. Ad eundem igitur modum res in incontinenti etiam ſe habet: non minus enim ira, & cupiditas Venerea, aut ſimilis perturbatio, univerſum corpus alterant, quam ebrietas, furor aut ſomnus, imo tam vehementer ſæpe immutant, ut nonnullos ad inſaniam adegiſſe conſtet.

XIX. Nec obſtat quod etiam in ipſa perturbatione incontinens interdum profert ea quæ videntur à perfecta & plena ſcientia virtutis proficiſci: nam & qui in furore ſunt multa pronunciant quæ ipſi neſciunt, & pueri quum diſcunt primum, recitare carmina poetarum poſſunt, quæ nondum tamen ſatis intelligunt. Quidni ergo & incontinens *Det ſine mente ſonum, det caſſa & inania verba*? quidni recitet, ut hiſtrio, ſententias, quas tamen parum ad ſe attinere putet?

XX. Verum enimvero ſi ulterius hic ſciſciteris, quî fiat ergo quod tanta vis perturbationum ſit, ad phyſicam doctrinam te amandabimus: ejus enim eſt id explicare. Vt autem & hoc verbo dicamus obiter, ita res ſe habet. Cum duo ſint in incontinente, quæ quaſi in contrarias partes eum trahunt, opinio de eo quod agendum eſt & cupiditas contra nitens, & illa quidem fugiendum eſſe quod turpe eſt dicat, hac autem animum & ipſa etiam membra movere

possit & moveat (intellectus enim sive ejus appetitus voluntas, membra movere, nisi per illum ministrum nequit,) facile fit, ut nulla habita ratione opinionis illius, quam incontinens habet, id agat cujus eum postea pœniteat. Nam ubi cupiditas appetitum jam occupavit, & amabilis illa species ejus quod volupe est, sensui tam fortiter impressa est, ut illum continue solicitet, imo stimulet, ruit incontinens in voluptates, ut animum expleat, quicquid interim fiat de scientia honesti quã habet. Adde quod universalis propositionis, quia à sensu & appetitu remotior est, cognitio & consideratio parum efficere potest, si sola sit, particularis verò, quia ei propior, appetitui tum accommodatur, id est, vel non examinatur plane, vel commoda interpretatione ei subvenitur, ne refragetur appetitui. Prætermissa autem particulari vel ad institutum accommodata, jam nemo conclusionem moratur, quæ, quia minor falsa esse videtur, vel certe aliter intelligenda, negotii facessere nihil potest. Quin concludere aliud in promptu est, substituta in locum prioris illius universalis alia aliqua.

XXI. Sed exemplo res tota illustretur. Universalis allata ante est hæc: *Omne turpe est fugiendum.* Eam incontinens libenter concedit. De particulari autem ista: *Hoc est turpe*, dubitatio oritur, imo de ejus veritate non constat, vel plane etiam falsa esse videtur. Quare nec conclusionem flocci facit: non enim ea vera necessario est, siquidem de minoris veritate non constat. Jamque constituere aliam universalem licet, adeo-

eoque in universum conficere alium discursum istiusmodi: *Quicquid non adversatur honestati, id facere licet*: namque & hæc vera est æque ac illa prior. *At hoc* (puta Veneri aut vino indulgere eo modo, quo incontinentes solent) *non adversatur honestati.* (ita enim ille, quum in perturbatione est persuasum sibi habet) *Facere ergo hoc ecquid prohibet*? Atque ita ferè ratiocinatur incontinens, dum libidini suæ obsecundat.

XXII. Verum hæc accuratius disputare physici est, ut diximus, qui eadem opera & illam quæstionem nobis explicabit, quo pacto ignorantia ea, ubi jam æstus ille animi deferbuerit, removeatur iterum, fiatque ut sciat denuo incontinens quod dudum ignorabat: utraq; enim hæc quæstio non tantum ad incontinentem pertinet, sed etiam ad dormientem & ebrium. Nobis sufficit hic physicorum fide nosse ita rem se habere, tantamque vim perturbationum esse. Caussam vero ejus ab illis perdiscet plenius, qui volet.

XXIII. Tantum hoc observa adhuc, re ita explicata facile esse conciliare cum sententia nostra Socratis opinionem; sine dubio enim ille, quum dicebat scientiam à perturbatione superari non posse, de proprie dicta scientia loquebatur, id est, de universalis propositionis cognitione. Quod quidem & nos dicimus sic se habere: non enim illam sed particularem, quæ sensui propior & obnoxia magis est, à perturbationibus impeti & vinci statuimus. Et hactenus de

prima controversia dictum esto. Nunc de objecto continentiæ videamus.

CAP. IV.

XXIV. Manifestum autem est & in confesso, versari continentem & incontinentem circa voluptates & dolores. Sed ea quæ voluptatem creant, alia sunt necessaria, ut alimentum & Venus, alia expetibilia quidem sed non necessaria, ut honor, divitiæ & similia. In illis qui peccat, incontinens absolute vocatur, qui vero in his, semper cum adjectione ejus, cujus est incontinentia, puta honoris, lucri, iræ, &c. Absolute igitur continens & incontinens idem objectum habet quod temperans & intemperans. Qui vero continere se in cæteris non possunt, incontinentes secundum quid tantum & per aliquam similitudinem vocantur.

CAP. V.

XXV. Verum cum ea, ex quibus voluptas capitur, alia sint secundum naturam, alia excedant naturæ modum, quæri hic possit, an non & in his sit incontinentia? Dicimus autem non esse, nisi itidem per similitudinem: immanitatem enim hanc ac feritatem rectius appellari. Talia sunt vesci carnibus humanis, usus Veneris cum matribus & similia, quæ vel scribere stylus abhorret. Ecquis enim eos, qui tantis vitiis polluti sunt, incontinentes tantum dixerit, cum incontinentia humanum quid sit, illa vero belluis competant, imo sæpe atrociora sint, quam ut in belluas cadant?

CAP.

CAP. VI.

XXVI. Quod si autem comparare tibi libeat incontinentiam simpliciter dictam cum incontinentia iræ, & quærere, utra melior sit? incontinentiam iræ dicemus. Caussæ vero istæ sunt. Primo, ira audit aliquo modo rationem, cupiditas non item: illa enim instar velocis ministri est, qui audit quidem dominum, sed antequam mandata recte percipiat, excurrit, & deinde peccat. At cupiditas, ubi percepit rem jucundam esse, neglecta ratione, statim in eam fertur. Deinde videtur ira adfectus esse magis naturalis quam cupiditas, quia omnibus communis, candida item & aperta, non insidiosa, cum cupiditas clam multa faciat. Denique ira quod agit propter dolorem agit. Venia autem dignior est, qui ideo quod doleret modo in re quapiam excessit, quam qui idem fecit ob libidinem. Quare videtur incontinentia quoque iræ venia dignior esse, quam quæ incontinentia absolute vocatur. Tantum est de objecto continentiæ.

CAP. VII.

XXVII. Antequam autem pergamus ad cæteras quæstiones dicendum hic aliquid jam est de Tolerantia, & illa quoque verbo explicanda: ex iis enim quæ hactenus tradita sunt, facile ejus naturam cognoscere est. Quemadmodum igitur duobus modis versantur homines circa voluptates, uno ut superent eas quas multi superare nequeunt, altero ut superentur ab iis,

quas alii pleriq; ſuperant, & qui illud facit continens, qui hoc, incontinens eſt: eadem ratione in doloribus perferendis comparatum eſt: qui enim priori modo ſe gerunt, tolerantes & conſtantes dicuntur, qui poſteriori molles.

XXVIII. Quare tolerantia docet reſiſtere dolori, qui ex abſentia voluptatis percipitur: continentia vero voluptatem ſuperare. Vt ita hæc ab illa differat quod continentia vincat cupiditatem, tolerantia id tantum agat, ne à dolore vincatur. Quapropter etiam illa magis quam hæc expetenda eſt.

XXIX. Sed hic obſerva illud quoque multas eſſe intermedias diſpoſitiones, quæ nec incontinentia vel mollities proprie dicantur, nec continentia aut tolerantia. Quin & hoc, duas eſſe ſpecies incontinentiæ, unam cum temeritate quadam conjunctam, alteram cum imbecillitate. Illa qui peccant, rapiuntur ab animi motibus priusquam de re conſultaverint, qui hac vero, non perſiſtunt in eo quod faciendum ſtatuerant, etiamſi conſultaverint. Eſtque poſterior illa ſpecies pejor priori: nam in illa ab affectu leniori vincitur ratio, & quidem quum deliberatum antè eſſet, neq; ex incogitantia ibi peccatur, ſed præmeditato animo. Atque hæc ita ſe habent: nunc ad inſtitutum noſtrum revertamur, & dicamus de diſcrimine, quod eſt inter continentem & temperantem atque inter incontinentem & intemperantem.

CAP. VIII.

XXX. Differunt vero primo quod intemperan-

perantem non pœniteat facti: fecit enim per electionem quod commisit, aut incontinentem facile pœniteat. Ideoq; & hic curabilis est, sed ille incurabilis. Deinde intemperantia continuum malum est, ut hydrops, phthisis & morbi similes, incontinentia non est, sed similis epilepsiæ: tantum enim ex intervallo recurrit. Tertio denique intemperantia latet eum qui ipsi obnoxius est: rationem enim hic corruptam habet, & ægris similis est, qui tam vehementer laborant, ut non sentiant amplius se ægrotare: incontinentia non latet incontinentem.

XXXI. Vnde manifestum est, magnum discrimen esse inter incontinentiam & intemperantiam, ac per consequens inter continentiam quoque & temperantiam. Imo & hoc patet, incontinentiam vitium non esse nisi ex parte aliqua: est enim sine electione, cum vitium conjunctum sit cum electione. Quanquam alias in actionibus, quæ ab utraque proficiscuntur, magna est similitudo; quod enim olim Demodocus quidam dixisse fertur de Milesiis, stultos eos quidem non esse, at facere ea quæ stulti faciant, in incontinentem quadrat; agit ea quæ ii agunt qui vitiis obnoxii sunt, vitium tamen proprie loquendo in ipso non est.

XXXII. Quamobrem etiam diximus curabilem eum esse magis quam intemperantem; nam quia non per electionem malum facit, sive ideo quia putet ita fieri pulcrum esse, sed abreptus cupiditate, cum rectiora sciat, indicio hoc est, principia ei superesse & judicium nondum corru-

corruptum. Cui autem hæc reliqua ſunt ac ſalva, is curari poteſt. At cui perierunt, ille ad frugem non facile redierit.

CAP. IX.

XXXIII. Et ita quoque oſtendimus diſcrimen inter continentem & temperantem: pergamus ulterius, & videamus an conntinentia ſit perſeverantia quædam in concepta de rebus opinione?

XXXIV. Dicimus autem, ſimpliciter non eſſe: neque enim in prava ſententia pertendit continens, neque incontinens ab ea diſcedit. At ſi ita limites illud perſeverare, ut de ea perſeverantia intelligas ſola qua rectis & bonis inhæremus, nihil obſtat, quin continentia dici poſſit quædam perſeverantia. Nec tamen ſi perſeverantiam vocaris, licebit tandem quoque pertinaciam dicere: pertinax enim in quacunque ſententia ſive bona ſive mala permanet, idque propter cupiditates ſuas, & quia vincere alios vult, cedere nemini, cum continentia non propter motus animi, ſed propter certas rationes ſententiam non mutet. Nam hoc illa ſimile habet temperantiæ, ut in gratiam cupiditatum nihil faciat, quanquam viciſſim ab eadem differt, quod nihilominus illas habeat pravas & nondum ſat domitas, delectetur etiam iis quæ præter rectam rationem fiunt, licet neque hæc faciat, neque illarum ductum ſequatur.

Tantum etiam de hac quæſtione.

CAP.

Cap. X.

XXXV. Sequitur ultima, An in prudentem cadat incontinentia? Ad hanc si respondemus, ut negemus plane fieri tale quid posse, cum hac tamen distinctione, si per prudentiam ipsum habitum prudentiæ denotes. Nam, ut jam supra diximus, & suo loco ostensum est, prudens omnis morum integritate præstat, nec scit tantum quid fieri in vita debeat, verum & agit. Quod si verò de potentia illa naturali loquaris, quam solertiam diximus, fieri fortè id possit. Dico *forte*, nam qui solers est, habet se ut is qui scit & contemplatur, incontinens autem dormienti & vinolento similis est, scit quidem aliquo modo quid agat, sed non perfecte tamen. Quare etiam simpliciter malus non est: bona enim agere velit si per effrenem libidinem possit: ut comparari queat cum civitate, quæ optimas quidem leges ponit, sed iis non utitur, cum malus illi similis sit, quæ utitur quidem legibus, sed pessimis. Et hactenus de continentia; quæ enim hic aliquot capitibus Aristoteles subnectit de Voluptate, ea in libr. X. rejicimus, ubi peculiaris de illa instituetur tractatio.

Corollaria.

1. *Exempla heroicæ fortitudinis plurima sunt, cum in aliis historiis, tum præcipuè in Romana. In Romana ex multis pauca, Horatii Coclitis, Mutii Scævolæ, trecentorum sex Fabiorum, P. Decii Muris, patris & filii, Marci Attilii Reguli.*

2. Heroi-

2. *Heroica Temperantia fuit in Scipione Africano, qui 24. annum agens, (verba sunt Valerii Maximi) cum in Hispania Carthagine oppressa majoris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia multosque obsides, quos in ea urbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ virginem, ætatis adultæ, & juvenis & cœlebs & victor, postquam comperit illustri loco in Celtiberis natam, nobilissimoque gentis ejus Indibili (Livius & Plutarchus aliter eum appellant) desponsatam accersitis parentibus sponso inviolatam tradidit: aurum quoque quod pro redemptione puellæ datum erat summæ dotis adjecit. Vid. Val. 3. Item in Zenobia fæmina Odenati Palmyrenorum Principis conjuge, cujus ea castitas fuisse dicitur, inquit Trebellius Pollio, ut ne virum suum quidem sciret. Sed reliqua ipse lege in historia Augusta ap. Trebell. in triginta tyrannis.*

3. *Heroica liberalitas fuit Cimonis Atheniensis Miltiadis filii, de qua sic Æmilius Probus, sive is Cornelius Nepos est: Fuit tanta liberalitate, cum compluribus locis prædia hortosque haberet, ut nunquam eis custodem imposuerit, fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus vellet, frueretur. Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe quum aliquem offensum fortuna, videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic cœna ei coquebatur, ut quos non vocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit: multos locupletavit. Complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit.*

4. *Man-*

4. *Mansuetudo heroica in Philippo Macedonum Rege emicuit, qua usus est ergo Democharem Parrhesiasten Atheniensem. Venerat hic inter alios Atheniensium legatos ad Regem. Rex benignè audita legatione, Dicite, inquit, mihi facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum? Excepit Demochares: Te, inquit, suspendere. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est: quos Philippus conticescere jussit, & Thersiten illum salvum incolumemq; dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus, multo superbiores esse qui ista dicunt; quam qui impune dicta audiunt. Vide Sen. l. 3. de Ira, c. 23.*

DISPUTATIONUM ETHICARUM VIII.

Quæ est prima

DE AMICITIA,

Ex VIII. Lib. Ethic. Aristot.

Resp. HENRICO BALTHASARE von Rundstedt/ Eq. March.

THESIS I.

CAP. I.

EXPLICATA hucusque virtute consequens est ut de amicitia nunc dicamus.

II. Hæc n. & ipsa vel virtus est, vel certe res cũ virtute valde conjuncta, & tam in vita necessaria, ut prosperum absque ea nihil esse possit. Namq; & qui bonis aliis omnibus abundant, insuper amicis opus habent, cum

bona illa revera bona non sint absq; beneficentia, neque beneficentia sit absque amicitia: & similiter qui rebus adversis utuntur, ad solos amicos perfugium habent.

III. Nec tantum omni vitæ generi, sed omni etiam ætati necessaria est: adolescentibus quidem, ut moneantur ab amicis, sicubi delinquant, senibus, ut quæ per corporis imbecillitatem ipsi nequeunt, expediant per amicos, & iis denique qui florente ætate sunt, ut actiones honestas & præclaras eo rectius obeant: hic enim, si ulla in re alia, verissimum est illud Diomedis apud Homerum, Σὺν τε δὺ' ἐρχομένω, commonefaciens, si plures idem agant, intellecturos & perfecturos omnia melius.

IV. Quin naturam quoq; indidisse amorem videmus, cum animantibus cæteris: amant enim se inter se, quæ ejusdem generis sunt: tum maxime hominibus: unde omnes laudamus τοὺς φιλανθρώπους καὶ φιλοφίλους, & odimus, atque exsecramur etiam, si quis sit μισάνθρωπος.

V. Quid, quod ipsas civitates etiam continet amicitia? inde enim est, quod concordiæ studere cives unice volunt legumlatores, & detestantur ac arcent à civitate, quantum possunt, seditionem & discordiam: concordia enim amicitia quædam est, discordia & seditio, inimicitia.

VI. Postremo amicitia ubi est, ibi vel justitia opus non est: amici enim amicis injuriam non facient: at justitia quidem amicitia indiget, amicitia vero justitia non item. Tam necessaria in vita est amicitia.

VII. Ve-

VII. Verùm enimvero non necessarium quid tantum est sed & honestum: laudant enim, ut diximus, omnes, si quis amicos multos habeat, imo virum bonum & amicum sæpe pro eodem habent.

VIII. Quid autem sit, & quæ ejus natura, de eo controversia olim non levis fuit: alii enim ipsam dixerunt similitudinem, alii dissimilitudinem: similitudinem, quod semper simile simili delectetur, dissimilitudinem, tum quod invideant sibi inter se plerunq; ὁμότεχνοι, tum quod physicis quoque rationibus sententia ista probari posse videatur, quas tamen, cum huc non pertineant, referre non attinet.

IX. Nos quid sit, & quot ejus species, ita intelligemus, si quid & quotuplex sit id quod amabile est, considerabimus: non enim quidvis amatur, sed id tantum quod amabile est. Amabile autem triplex est, bonum, jucundum, utile: & bonum quidem, quod vel revera tale est, vel esse cuique apparet.

X. Principio vero amicitia benevolentia quidem quædam est, sed non erga res inanimatas, cum neque ea mutua sit, quod requiri ad amicitiam jam dicemus, neque res inanimatæ ita amentur, ut bona illis ipsorum gratia velimus, quod tamen proprie est bene velle: si quid enim ejusmodi rerum amamus, propter nosmet ipsos id facimus, quod utilis res ea nobis sit, non quia ipsi rei bene per se, & propter ipsam, velimus.

XI. Neque etiam est benevolentia quæ non sit mutua: hujusmodi enim benevolentia amor proprie, amicitia, nisi in lata significatione, non dicitur.

XII. Denique nec latere debet illa benevolentia: quibus enim non constat de mutua inter se benevolentia, illos nemo amicos dicat, sed benevolos.

XIII. Vt ita amicitia sit benevolentia mutua non latens, propter unum aliquod eorum quæ sunt amabilia fieri necesse est.

CAP. III.

XIV. Sunt autem tres ejus species, cum totidem sint species amabilium, in quibus est mutuus & non latens amor. Quanquam id nota, illas amicitias quæ utilitatis & jucunditatis gratia coluntur, si rem accuratius nonnihil pensites, proprie quidem amicitias non esse.

XV. Qui enim ob utilitatem amici sunt, ob eam tantum sibi inter se bene volunt, non propter se ipsos, ut flagitat natura benevolentiæ. Similiter & qui ob jucunditatem amici sunt propter eam amant solam, imo jucunditatem & utilitatem magis, & per se, amant, amicos ipsos per accidens.

XVI. Quare amicitiæ hujusmodi ex accidenti tantum sunt, ideoque nec stabiles, cum facile mutentur & dilabantur tam ex quibus utilitas, quam ex quibus voluptas capitur: quibus dilapsis, perit actutum & amicitia.

XVII. Student vero amicitiæ utili potissi-

mum ſenes, jucundæ adoleſcentes. Atq; ita comparatæ ſunt duæ iſtæ amicitiæ.

XVIII. At amicitia bonorum & eorum qui virtute ſimiles ſunt aliter ſe habet: hæc enim demum vera & perfecta eſt amicitia, cum bene ſibi inter ſe velint ideo quia boni ſunt, per ſe & propter ſemetipſos tantum. Hæc ſtabilis quoque eſt, cum à virtute proficiſcatur re ſtabili, imo utilis etiam & ipſo ſuo modo ac vere jucunda: utilis quidem, quod amici iſti ſibi invicem uſui ſint ad res quaſque pulcerrimas gerendas, jucunda quod virtute nihil eſt jucundius, neque ſolida alia voluptas hominis, niſi quæ ex virtutis actione percipitur. Sed rara eadem eſt, nec niſi longo tempore & vitæ conſuetudine paratur, tum quia pauci boni ſunt, tum quia non facile ſe inter ſe cognoſcunt accurate ſatis amicitiæ candidati: prius enim in eam recipere quemquam non oportet, quam dignus ea eſſe perſpectus fuerit.

Cap. IV.

XIX. Hæc eſt indoles amicitiæ ejus quæ inter bonos eſt, & à ſola virtute conciliatur, cui ſi ſimiles ſunt cæteræ, nihil tamen præter ſimilitudinem aliquam commune habent: multa enim ſunt in quibus hæc ab illis diſſidet, quæ partim recenſuimus, partim facile intelliguntur. Nam hæc amicitia præter cætera etiam hoc peculiare habet, quod non niſi bonorum eſt, cum aliæ hominum etiam malorum ſint. In ſola item hac non eſt locus calumniæ: nec enim facile quis ſequius quid ſuſpicatur de eo quem virũ bonum

esse longo jam tempore noverit. Nec injuriam faciunt sibi inter se qui hanc colunt, quod fieri posse & sæpe fieri in ceteris amicitiis nemo ignorat. Denique ut verbo dicam, omnia quæ ad veram amicitiam requiruntur omnium opinione, hic adsunt. Quare etiam primo & proprie hæc est amicitia: reliquæ analogice ita dicuntur, & per similitudinem, ut ante monuimus.

CAP. V.

XX. Sicut autem in virtutibus res sese habet, uti alii habitu, alii actu boni dicantur, hoc est, alii habitu virtutis præditi sint, alii secundum habitum illum agant, ita etiam in amicitia comparatum est. Quidam enim una viventes consuetudine sua inter se fruuntur & gaudent, mutuaque officia invicem sibi præstant: at alii locis sejuncti, amici quidem sunt, itaque animo affecti, ut, si vivant una, amicitiæ munia exsequi velint, sed non faciunt ob locorum distantiam; hæc enim etsi amicitiam non solvit, usum tamen ejus impedit.

XXI. Quanquam etiam planè solvere potest, si longo tempore propter locorum nimium intervallum nullus ejus usus sit. Quod ut intelligas hoc cogita, nihil tam amicorum proprium esse, quam una vivere & iisdem gaudere: hinc enim est, quod senes quidam & homines acerbi inepti sint ad amicitiam, cum jucunda eorum non possit esse consuetudo. Hinc item, quod consuetudine amicorum oblectare se volunt etiam qui nullam utilitatem inde sperant, quique nul-

nullius rei indigi ſunt, cum beati eſſe non poſſe ſibi videantur, ſi ſoli vivant. Et in univerſum qui ſimul non vivunt nec ſe inter ſe fruuntur, benevoli potius quam amici vocantur, & benevolentia illa amor tantum eſt, non amicitia.

XXII. Vbi nota diſcrimen inter amorem & amicitiam, magnum ſane: amor enim affectus eſt, amicitia ſimilis habitui, qui cum electione agit, & amor eſt rerum etiam inanimatarum ſive ad inanimata, amicitia non item: hæc enim par pari refert voluntate & jucunditate, & æqualitas quædam eſt.

CAP. VI.

XXIII. Sed ut redeamus eo unde digreſſi ſumus, unicum adhuc obſerva de ſpeciebus amicitiæ, eam quæ propter honeſtatem eſt, non poſſe eſſe ad multos, cum multi uni & eidem valde placere vix queant, imo neque multi boni ſint, vel ſi ſunt, non facile plures penitus ab uno pernoſcantur: utilem vero & jucundam amicitiam ad plures eſſe, ut experientia teſtatur.

CAP. VII.

XXIV. Et hactenus quid de amicitia diximus, quidq; ejus ſpecies. Cæterum præter illam proprie ita dictam amicitiam alia adhuc quædam eſt, quæ ἡ καθ᾽ ὑπεροχὴν φιλία ſive amicitia ſecundum excellentiam dicitur, fere ad eundem modum ut virtus heroica virtus ſecundum excellentiam: cum enim illa hucuſque explicata

inter eos ſit qui dignitate pares ſunt, hæc eſt inter impares. Ejusmodi eſt amicitia patris ad filium, & omnino ſenioris ad juniorem, mariti ad uxorem, principis ad ſubditos. Et hic quidem diverſa iterum ratio eſt: neque enim amicitia patris ad filium ita ſe habet ut amicitia filii ad patrem, vel principis ad ſubditos ut ſubditorum ad principem, quod diverſa ſit uniuscujusque virtus, & diverſa propter quæ amant.

XXV. Obſervatur autem in hujusmodi amicitia proportio quæ in comparatione rationum conſiſtit, ſive geometrica, ut videlicet is qui præſtantior eſt diligatur magis quam diligat: alias enim nulla ſit æqualitas.

XXVI. Et accidit quidem hic aliquid contrarium ei quod in juſtitia uſuvenit: illic enim illud primo æquale eſt quod ſecundum comparationem rationum inſtituitur, ſecundo loco id quod ſecundum quantitatem eſt, in amicitia vero primo æquale id eſt, quod ſecundum quantitatem ſimpliciter eſt, ſecundo loco, quod æquale eſt ſecundum rationum comparationem. Namque & in amicitia ſecundum excellentiam debet eſſe æqualitas: quæ etſi eſſe non poteſt ſecundum quantitatem ſimpliciter, eſt tamen ſecundum rationum comparationem: ſed hæc æqualitas in amicitia poſteriori loco eſt, illa priori: magis enim hæc de natura amicitiæ eſt, quam altera.

XXVII. Oportere autem in omni amicitia eſſe æqualitatem quandam, ſaltem ſecundum comparationem rationum, inde manifeſtum

eſt,

eſt, quod ſi nimis magnum intervallum ſit, ut nulla amplius comparatio eſſe poſſit, ceſſet amicitia. Ita non eſt amicitia hominis ad Deum, aut viliſſimi verberonis ad regem, aut hominis ſtupidi & rudiſſimi ad virum præſtantiſſimum & ſapientiſſimum. Atque ita etiam ſe habet illa ſecundum-excellentiam-amicitia: nunc de amicitia in univerſum iterum agamus.

Cap. VIII.

XXVIII. Quia autem diximus in amicitia inæqualitatis ſive τῇ καθ' ὑπεροχὴν, eum qui præſtantior eſt amari magis debere quam amare, idq; vulgo ſit valde acceptum, quæri hic non incommode poteſt, utrum præſtabilius & magis de natura amicitiæ ſit amarene an amari? Nos dicimus τὸ amare præſtabilius eſſe, etſi abſurdum forte hoc videatur: qui enim amari malunt non per ſe id expetunt, ſed vel quia, ſi amentur à ditioribus, ſperant ſe accepturos ab ipſis quo indigent, vel ſi à præſtantioribus, quia ita opinionem de virtute ſua confirmari putant, quam de ea ipſi animo conceperant.

XXIX. At amare per ſe expetitur: videmus enim matres amare liberos impenſiſſime tum etiam quando illi redamare ipſas per ætatem nondum poſſunt, imo etiam quando jam redamare poſſunt; non adeo id curare, modo vivant liberi & bene iis ſit, ut habeant quod ulterius ament.

Cap. IX.

XXX. Porrò diximus etiam in initio, magnam affinitatem amicitiæ eſſe cum juſtitia, ita ut

quod maxime justum sit maxime quoq; amicos jungat: unde liquet amicitiam & justitiam in iisdem rebus versari: quod si ulterius nonnihil consideremus, multum hoc ad naturam amicitiæ rectius intelligendam conferet.

XXXI. Est autem non tantum in omni societate & justum aliquod & aliqua amicitia, sed etiam quousq; homines bona inter se communicant amicitiamque colunt, eousque extenditur justitia. Vnde illud vulgatum obtinuit, *amicorum quæ sunt esse communia*: ut enim justitia est ad alios, ita & amicitia in quadam communione fundatur. Quanquam aliis plura aliis pauciora communia sunt, sicut & amicitiarum aliæ magis aliæ minus sunt amicitiæ, & justa quoque omnibus non sunt eadem: neque enim eadem parentum ad liberos & fratrum inter se vel sodalium justa sunt.

XXXII. Quin quo major est amicitia eo major quoque est justitia. Si enim magis injustum est patrem interimere quam civem, & fratri opem nonferre quam civi, justum quoque magis est patrem amare vel fratrem quam civem. Atq; ita in cæteris cum amicitia justum crescit, ac duo illa in iisdem rebus sunt, & æqualibus passibus ambulant.

XXXIII. Ex his manifestum est amicitiam non minus atque justitiam esse ad alios & in aliqua societate, quam suo quodam quasi vinculo contineat. Quare & in civili societate erit: ad hanc enim reliquæ omnes tendunt, & ut illæ singulæ propter aliquod bonum sunt, ita hæc pro-

propter bonum universum est, cum omnis societas in Republ. bene constituta, præter suum proprium finem, eo dirigatur ut prosit publice.

CAP. X.

XXXIV. Cumque tres sint rerumpubl. formæ bonæ, totidemq; malę, regnum, cujus παρέκβασις est tyrannis, aristocratia, cui contraria est oligarchia, & timocratia, cujus labes est democratia; patris quidem ad liberos amicitia regno similis est; ut enim rex nihil nisi eorum quibus imperat bonum spectat, ita & pater quantum potest, non nisi liberûm salutem procurat: unde etiam Homerus Jovem patrem appellat, ut imperium patrium esse regnum ostendat.

XXXV. Mariti vero & uxoris societas aristocratia quædam est: ut enim in aristocratia qui virtute præstant præsunt cæteris, ita & maritus, quia dignitate præstat, uxori imperat, & quod decet ipsi quoque tribuit. Fratrum denique amicitia timocratia est: pares enim sunt præterquam ætate, & alternis vicibus parent & imperant.

CAP. XI.

XXXVI. Est autem in unaquaq; repub. bona tantum amicitiæ, quantum est justitiæ, & in malis contra ut parum justitiæ, ita & parum amicitiæ, quod in tyrannide patet, in qua cum nihil sit imperanti & parēti commune, nisi ut artificis ad instrumentum inanimatum est communio, neq; justitia neque amicitia esse tyranni ad subditos

potest;

poteſt: ad res enim inanimatas neque juſtum eſt, neque amicitia, ſicuti neque ad ſervum, quatenus ſervus eſt, domino juſtitia vel amicitia eſt, ſed ſolum quatenus homo eſt. Atque ita conſtat amicitiam in omni ſocietate eſſe, eamque continere.

CAP. XII.

XXXVII. Cæterum (ut de amicitia ſecundum excellentiam iterum dicamus) etſi parentes magis amandi ſunt liberis, quam liberi parentibus: tamen contrarium fieri videmus: idque iis de cauſſis, quod certius parentes liberos ex ſe natos ſciant, quam liberi ſe natos ex iſtis ſuis parentibus. Et ſemper quoq; conjunctum magis eſt id quod procreavit ei quod procreatum eſt, quam quod procreatũ eſt ei quod procreavit: eſt enim procreatum magis procreantis, quam procreans procreati, ſicuti dens & crinis ejus magis ſunt qui eos produxit, quam is eorum qui produxit. Diutius etiam amarunt parentes liberos, & quaſi renati ſibi videntur in liberis.

XXXVIII. Fratrum quoque amicita inde eſt, quod ex iisdem nati ſint, eodem modo educati, & proinde ſimilibus ſtudiis dediti: quo accedit, quod longa præterea conſuetudine animi coaluerint.

XXXIX. Sed & mariti atque uxoris amicitia à natura eſt: à natura enim etiam magis ad ſocietatem conjugii, quam ad civilem homo factus eſt, & prior naturâ eſt ſocietas mariti, & uxoris, quam civilis.

CAP.

Cap. XIII.

XL. Et hactenus oſtendimus quid ſit amicitia tam ea quæ eſt inter impares, quam quæ inter pares, & quomodo utraque concilietur. Reſtat ut paucis adhuc videamus unde querelæ in ea naſcantur & quomodo diſſolvatur amicitia, ut non tantum qui invenire ſibi amicos vult ſciat quid ſequatur, ſed & qui jam amicitiam colit non ignoret quid cavendum ſibi ſit, ne amicum inventum perdet.

XLI. Ubi obſerva, in amicitia quidem bonorum, ſive ea quæ à virtute eſt, quærelis locum nullum eſſe; nec enim hoc virtus eorum qui amant patitur: imo nec in ea quæ ob jucunditatem eſt illas tam facile exoriri, ſed in illa potiſſimum quæ utilitatis gratia colitur.

XLII. Duplex autem hujuſmodi amicitia eſt, ut duplex quoq; jus: ſicuti enim jus aliud legitimum eſt, aliud morale, ita & amicitia, quæ propter utilitatem eſt alia legitima eſt, alia moralis: legitima, quæ pactis conventis conſtat, ut quod acceperis ab amico, id ipſi reddas, idq; vel ſtatim, & de manu, ut ajunt, in manum, quod ſordidum eſt, vel ut differatur ſolutio ad certum tempus, quæ paullo liberalior amicitia eſt. Moralis, quæ non conſtat pactis conventis, ſed amico omnia quaſi muneratur, ita tamen ut æquum putet, ſi aliquando par vel etiam majus beneficium recipiat, eouſq; etiam, ut niſi id fiat, amicum accuſet. In priori ſpecie nō ita frequentes ſunt querelæ, at in poſteriori: nihil enim proclivius, quam ut qui beneficium in alterum contulit

tulit ad querelas delabatur de beneficio non recepto, aut non ea mensura recepto, qua oportebat.

XLIII. Sed hic jam statim quæstio oritur, quomodo ergo beneficium quod redditur metiri debeamus, commodone ejus qui accepit, an beneficentia illius qui dedit? Nos respondemus cum philosopho mensurãdum esse utilitate ejus qui accepit: tantum enim fuit beneficium, quantum eo illi commodatum est: quare & tantundem quoque reddendum erit.

XLIV. Ubi obiter nota primo, quia ita comparatum est cum mensura beneficiorum, considerandum accuratè ante esse, si accepturus à quoquam beneficium sis, à quo accipias, & quantum illud sit, ut an accipiendum sit, an repudiandum, recte principio statuere possis. Deinde & hoc animadverte, de utili tantum amicitia ista dici, in ea vero quæ virtutis caussa est, aliter rem se habere. Nam ibi mensura est non accipientis utilitas: neque enim iste finis ejus amicitiæ, sed electio sive proæresis dantis. Cum enim hic non det ut recipiat, sed quia honestum est, amico pro virili præsto esse, quum opus est, præsertim cujus id mereatur virtus, hoc majus est beneficium quo à majori, ut ita dicam, virtute proficiscitur. Virtutem autem & ejus actionem electio præcipue metitur, ut suo loco docuimus. Quare & beneficii ejus quod proficiscitur à virtute mensura est.

CAP. XIV.

XLV. Sed hæc obiter. Diximus unde oriantur

tur

tur querelæ: dicendum jam etiam verbo quomodo iisdem occurratur. Hoc autem ita fit, si ii qui pares sunt par pro pari referant, qui vero impares, inter eos is qui plus beneficii accipit plus observet & colat contra alterum: sic enim servabitur æqualitas adeoque & amicitia.

DISPUTATIONUM ETHICARUM IX.

Quæ est altera

DE AMICITIA,

Resp. Adamo Christophoro Koch Brunsuigio.

THESIS I.

Cap. I.

Quid sit amicitia, & quæ ejus species, quomodo item concilietur ac contrahatur superiori disputatione docuimus: nũc quęstiones quæ-dam adhuc proponendæ & explicandæ sunt, quæ ad superiora rectius intelligenda pertinent, deinde dicendum etiam de tribus præcipuis amicitiæ muneribus, de benevolentia, concordia, beneficentia, ac tertio denique videndum de amatore sui sive amicitia erga seipsum, ut vocat Aristot. item an homo felix opus habeat amicis, & quantus numerus eorum esse debeat, in utra item fortuna adversane an secunda parandi sint, & quodnam præstabilissimum sit in amicitia.

II. Prin-

II. Principio igitur de querelis agendum quæ oriri ſolent in amicitia diſſimili: nam quæ in ſimili, de iis ante dictum eſt.

III. Diſſimilem autem amicitiam vocamus, in qua non amat propter eundem finem amicorum uterq; ſed alter propter utilitatem forte, alter propter jucunditatem: ſimilem, in qua idem finis utrique eſt.

IV. Nihil vero eſt facilius quam in ejusmodi amicitiis querelas naſci. Alter enim amicorum ob utilitatem ſæpe ſolam amat & alter ob jucunditatem. Quod ſi igitur qui utilitatem quærebat, nihil accipiat, vel jucunditate & voluptate contentus & ipſe eſſe jubeatur, quam ille tamen forte nullam ex amico capere poterat, diſſiliunt amici & ſolvitur amicitia.

V. Ita ille cum citharædo pollicitus eſſet, quo melius caneret, eo luculentius præmium ſe poſtridie mane daturum, poſcenti promiſſa voluptatem pro voluptate reddidiſſe dixerat.

VI. Inique ſane: citharædus enim non voluptatem, nedum inanem illam, quam ex promiſſione præmii cœperat, expectabat, ſed commodum. Ita naſcuntur querelæ in diſſimili amicitia.

CAP. II.

VII. Atque hoc primum eſt de quo dicendum verbo fuit. Pergamus ad ſecundam quæſtionem. Manifeſtum eſt ex ſuperiori disputatione in unaquaque amicitia amici gratia omnia facien-

facienda esse. Hic dubitari jam merito potest, an ergo simpliciter omnibus omnia tribuenda? Quæri enim possit, an cum filio parendum patri sit, si pater ægrotet, tum quoque pater potius in omnibus audiendus sit, an medicus, &, an si dux exercitus creandus, patrem quis potius, qui tamen ad munus istud non sit idoneus, suo suffragio creare debeat, an alium quemvis, qui idoneus sit.

VIII. Vbi dicimus medicum quidem hic rectius audiri à filio, quam patrem, præsertim ubi de salute ejus agatur, quam melius intelligit absque dubio medicus, & idoneum potius ducem creandum esse, quam patrem, nec omnia simpliciter parentibus, sed sua tribuenda.

IX. Eadem vel similis quæstio est, An viro bono potius quam amico inserviendum sit, & Benefactori ne referendum beneficium, an amico gratificandum, item, An debitori reddendum debitum, an potius amico dilargiendum, si fieri utrumque nequeat?

X. Quarum postrema, etsi difficultatem habere non videtur, fieri tamen ob varias rei circumstantias potest, ut habeat. Sit enim redemptus quis à prædonibus, ita, ut qui ipsum redemerit, obsidem se dederit. Redimendus hic vicissim est. At idem qui redemptus est, alteri cuiquam debeat, qui solutionem jam flagitet. Satisfaciendum creditori sit, sed & alter redimendus. Si facere utrumque non possit, utrum ipsi faciendum censebimus? Vel si ita res se habeat. Debeat quis alteri, & creditor solutionem

poſcat, qui ipſe valde opus argento iſto habeat. Debitori vero pater redimendus ſit à prædonibus. Facere utrumque non poſſit, ſed ſi redimat patrem carendum omnino ſit creditori, vel ſi ſatisfaciendum creditori, patrem redimere nullo modo liceat. Vtrum rectius faciet?

XI. Reſpondemus igitur, ſimpliciter quidem reddendum debitum omnino eſſe & beneficium referendum: at ſi ſumme neceſſarium ſit & maxime honeſtum alteri ea ipſa pecunia ſuccurrere, nec facere aliter poſſis, neutrum interdum recte fieri.

XII. Idque & inde patet, quod ſi homo flagitioſus viro bono benefecerit, benefaciendum ei contra ſemper non eſt, ne eo ille pacto habeat, unde flagitia plura & majora perpetret. Imo neque ſemper ſi mutuo quid à quoquam olim acceperis, mutuo contra dandum eſt: quid ſi enim certo ſcias te non recepturum, quod dederis? Variantur enim hæc multis modis pro ratione circumſtantiarum, nec in ulla amicitia cuiquam omnia tribuenda ſunt, ſed unicuique quod ipſi debetur.

CAP. III.

XIII. Et tantum etiam de ſecunda quæſtione. Tertio quæri poteſt de amicitia quæ ob virtutem colitur, An ergo illa nullo modo diſſolvi queat, cum ſupra dixerimus querelas in ea non facile naſci adeoque nec diſſolvi poſſe? Dicimus autem non facile poſſe: neque enim facile fit, ut vel qui pravis moribus ſit, eos ita cælet, ut à viro

bono

bono in amicitiam adſciſcatur, vel qui vir bonus antea perſpectus fuerit, ita prolabatur in vitia ut redire ad ſaniorem mentem non velit: absque alterutro autem horum diſſolvi amicitia quæ ob virtutem eſt non poteſt.

XIV. Interim tamen & hoc verum eſt, quod ſi contingat ut disſolvatur, aut ſi tu ponas fieri hoc poſſe, maxime id futurum ob cauſſas eas, quas diximus. Vbi rurſus cautione opus eſt. Si enim in vitium quoddam inciderit amicus quidem, ſed referre tamen inde pedem velit & poſſit, non tantum disſolvenda non eſt amicitia, ſed & auxilium ei ferendum omnimodo, ut ad honeſtatem redeat idque hoc magis, quo honeſtas utilitate præſtabilior eſt, & quo magis proprium amicitię in rebus quę animi ſalutem concernunt præſto amico eſſe, quam in iis quæ corporis indigentiam.

XV. Verum enim vero & alio pacto fieri poſſe videtur ut disſolvatur, quamvis alia quoque ejus amicitiæ forte ratio ſit. Sint qui à pueris amicitiam coluerint, & alter eorum idem ſemper permaneat, alter magis magisq; in ſtudio virtutis proficiat, & præſtantiſſimus evadat. Solvetur & hæc amicitia tandem: non enim iisdem gaudebunt & dolebunt amplius, absq; quibus amicitia eſſe non poteſt. Solvetur igitur, ſed ita tamen, ut nihilominus plus ejusmodi veteri amico tribuatur, quam alii cuiquã qui amicus nunquam fuerit, ut & alias civi ac noto potius quam extero & ignoto gratificari ſolemus, præſertim cum non ob pravitatem ejus aliquam ceſſet iſta amicitia.

CAP. IV.

XVI. Hactenus de quæstionibus illis. Porro munera amicitiæ præcipua, de quibus nunc dicendum, eò omnia redeunt, ut quod vir bonus sibi velit & faciat, amicis ipsorum gratia velimus & faciamus: virtus enim & vir studiosus, ut aliorum, ita horum quoque officiorum mensura sunt. Quantum igitur hic seipsum amat, tantum amare & amicum oportet. Amat autem seipsum maxime, ita ut sibi bona velit & cumprimis bene faciat, & se gaudeat, sibique maxime in omnibus consentaneus sit. Esse enim se, & salvum ac beatum esse, vult, quod cum absque animi virtute fieri non possit, huic potissimum studet, utque animus perficiatur operam dat: qui quando recte se habet, jam in omnibus quæ agit, jucunda consensio est, iisque lætatur & se oblectat: neque enim agit, cujus postea ipsum pœniteat, & quare angatur & secum ipse diffideat, ut hominibus pravis accidit.

XVII. Accidere hoc pravis dico, ut secum ipsis diffideant. Et in promptu caussa est: aliud enim in iis suadet ratio, aliud cupit appetitus, ut fit in omnibus incontinentibus: unde quî fieri aliter potest, quam ut sæpe ipsos pœniteat anteactorum & in animo sit quasi perpetua seditio? Et sane facile est intelligere, pravos sibi revera bene non velle aut benefacere cum summa miseria sit, ita divelli & modo huc modo illuc trahi, ac si quibus læteris interdum, tamen ob eadem dolere postea. Imo eousque miseri sunt, ut se ipsos fugiant: nihil enim in se deprehendunt

quod

quod ament aut quo delectentur: recordatione certe vitæ anteactæ non est quod gaudeant. Et ideo quærunt sui similes, quibus cum vivant, ut obliviscantur suæ miseriæ quam ex rerum malarum conscientia sentiunt: quin etiam mortem sibi sæpe eadem de caussa consciscunt.

XVIII. Cæterum cum amicus sit alter ipse, quæ sibi quisq; optat vir bonus, ea quoque amico fieri vult & facit, & cum ipso vivit, quanta fieri potest jucunda animorum conspiratione. Vt ita sint tria hæc præcipua amicitiæ officia, bene velle, benefacere, & iisdem gaudere seque inter se oblectare, vel si aliter exprimi mavis, benevolentia, beneficentia, & concordia.

Cap. V.

XIX. Benevolentia quidem quid sit jam supra explicatum fuit. Idem omnino cum amicitia non est cum etiam absque consuetudine vitæ & amore esse possit: amare enim est rem absentem desiderare ejusque præsentiam adfectare: quod tamen non statim facit benevolus. Quare etiam diximus omnem amicitiam quidem benevolentiam esse, sed non omnem benevolentiam amicitiam, sive quod idem est, illam latius patere.

Cap. VI.

XX. Concordia vero est non quidem simpliciter eadem opinio de rebus, sed ea tantum quæ est inter notos: namque & qui ignoti sibi invicem sunt idem statuere de re aliqua possunt; sed nec inter hos etiam est illa quæ sit de rebus

cœlestibus & hujusmodi aliis non cadentibus sub actionem: neque enim qui de his eadem opinentur, concordes quisquam dixerit: sed de iis quæ actionem concernunt: hic enim idem statuere & velle vera demum concordia est.

CAP. VII.

XXI. Beneficentia denique quid sit etiam in vulgus notum est. Tantum id quæri hic potest, quomodo fiat, quod qui beneficium in alterum contulit, is eum, in quem contulit, ipse magis amet, quam ab eodem ametur? Respondemus autem, hoc ideo fieri quia unusquisque id maximè amat quod opus ipsius est, & quia honestius beneficium conferre quam accipere. Inde enim gaudet magis ille qui benefecit quam is cui benefactum est, cum beneficium opus benefacientis sit; & quia ipse rei honestæ recordatione delectatur. Adde quod permaneat diutius beneficentia, ex qua benefactor voluptatem capit, pereat autem brevi utilitas & voluptas, quam ex beneficio percipit is in quem confertur. Denique cum labore etiam conjunctum est benefacere, non item beneficium accipere: diligimus autem unumquodque eo impensius, quo majori nobis labore constituit.

CAP. VIII.

XXII. Atque ita se habent tria præcipua illa amicitiæ officia. Nunc de amatore sui. Dictum superius est, virum bonum maxime se amare & sibi maxime bene velle & facere. Hinc jam quæstio illa nascitur; An igitur φιλαυτία & amor sui

cadat

cadat in virum bonum? Fieri vero hoc non posse videtur, cum ab omnibus reprehendatur ἡ φιλαυτία. Et tamen quæ supra diximus recte asserta esse non facile quis neget.

XXIII. Sed res difficultatem nullam habet, tantum distinctione opus est. Qui ita semetipsos amant, ut plus sibi de pecuniis, voluptatibus corporis, & præsertim honoribus tribuant quam decet, illi certe reprehendendi sunt: & hoc pacto se non amat vir bonus. At hi tantum vulgo sunt φίλαυτοι. Qui vero præ aliis justa, vel ea quæ sunt hominis temperantis & cæteris virtutibus omnibus præditi, agere studeat, quique honesta sibi maxime vendicet & usurpet, is amare se vulgo non putatur, nec φίλαυτος dicitur, cum tamen hic maxime sit sui amator: quæ enim pulcerrima & optima sunt maxime expetit: nam profecto hæc optima sunt, cum quod in homine optimum est perficiant. Hic autem sui amor multum differt ab altero: ut recte dicatur, maxime se amare virum bonum, & tamen reprehendendam esse φιλαυτίαν, cum hic non sit verus ille sui amor, sed vanus & inhonestus, neque cum illo quidquam nisi nomen tantum commune habeat. Et hoc est quod primo poterat quæri.

Cap. IX.

XXIV. Quæri præterea potest, an beatus etiam amicis opus habeat? & responsio in promptu est, quod utilibus & jucundis quidem non indigeat, sed tamen virtute præditis, tum

quod homo natura ſit πολιτικὸν ζῶον, neque ſolitaria vita delectetur, tum quod amicorum ope, ut à principio diximus, præclarius omnia agat, tum denique ut ſint quorum virtute ſe oblectet, & in quibus ſuam contempletur.

CAP. X.

XXV. Vlterius vero & hoc, ſintne quam plurimi amici faciendi an pauci? Dicimus autem paucos faciendos eſſe: non enim in amicitia jucunda aut utili inſervire quis multis ſimul poteſt, aut omnibus à quibus benefactum ipſi eſt æque referre beneficia: imo nec jucundum eſt quidquam niſi quod paucum, cum ſatietas rerum etiam jucundiſſimarum facile nos capiat, ſi pluſculum earum poſſideat quis, non minus atque condimentorum in cibis ſolet eſſe faſtidium ſi nimia ſint. In bonorum vero amicitia jam ante diximus multitudini locum non eſſe, niſi tu forte amicos voces omnes familiares & eos quicunque benevolentes alias dicuntur. Sed hæc eſt illa tantum civilis amicitia, non vera optimorum & amiciſſimorum hominum.

CAP. XI.

XXVI. Porro in dubium venire illud quoque poteſt, utrum in adverſis rebus potius an in ſecundis amici parandi? Et reſpondemus in ſecundis. Etſi enim in adverſis maxime illis indigemus, adeoque ipſorum vel ope vel certe conſpectu & alloquio multum ſublevari poſſumus, nihilominus tamen vocandi tum & faciendi ſunt tarde, prompte verò cum melior rerum facies

cies apparuerit. Minime namque convenit velle eos malorum nostrorum participes fieri. Neque hoc viri constantes volunt: hi enim nec ipsi nimium dolent, nedum dolere multum sua causa alios velint. Contra autem res se habet, si non vocare ad te amicos velis, sed ipse ad eos accedere: prompte enim ad calamitosos ibis, tarde ad fortunatos, illud facies ut eos juves hoc rectius, istud ne beneficium expectare videaris.

Cap. XII.

XXVII. Postremo ut finem faciamus, præstabilius nihil (si & hoc quæras) in omni amicitia est quam unà vivere ut sæpe diximus: maxima enim convictui delectatio inest, estque hęc quasi anima amicitiæ. Quare si videmus venatores, compotatores, & qui alio aliquo tali modo una vivunt, inde voluptatem capere, quid jucundius putabimus, quam propter virtutis studia una vivere, hisque se inter se òblectare? Et de amicitia quoque hæc sufficiant.

DISPVTATIONVM
ETHICARUM X.
Et Vltima

De

VOLUPTATE ET DOLORE

Deque

SVMMI BONI DISTINCTIONE
in Practicum & Theoreticum

Ex VII. & X. lib. Ethic. Aristot.

Resp. JOAN. DOLSCIO Halberstad.

THESIS I.

CAP. XI. L. VII. ET I. L. X.

EXPLICATA sunt hactenus omnia quibus ad summum bonum ac felicitatem vitæ consequendam opus est: & poterat adeo tota hæc tractatio videri jam ad umbilicum deducta esse: nihil enim aliud agit doctrina ethica quam ut nos cum de felicitate ipsa, tum de mediis ad eam parandam necessariis erudiat. Verum quia toties in hac disciplina mentio fit voluptatis ac doloris, nec hucusque ullibi natura eorum seorsim explicata fuit; & vero utrumque tantum ad vitam nostram momentum habet, ut recte aut male eam instituere dicamur prout rectè aut male re aliqua gaudemus aut dolemus, omnino aliquid de natura voluptatis & doloris adhuc tradendum est.

II. Id

II. Id ergo nobis nunc expedietur. Sed & aliud superest: nam etiam de summo bono hic quædam repetenda. Quod quidem quo consilio fiat, suo loco exponetur.

III. De voluptate autem sciendum principio est, fuisse apud veteres non unam omnium & eandem opinionem, sed ab his illam commendari, ab illis vituperari consuesse. Reperti enim sunt qui nullam omnino, nec per se nec per accidens, esse boni quidquam contenderent. Alii etsi concedebant esse aliquam bonam, plerasque tamen malas judicabant. Alii, omnes quidem bonas esse censebant, sed negabant summum bonum esse. Alii denique & hoc largiebantur, sed statuebant, conducere tamen ad vitam rectius instituendam, ut contraria potius opinio vulgo obtineret: à natura enim jam tum omnes ad voluptatem proclives esse, & ideo in contrarium ducendos, ut medium consequantur. Hi enim sunt qui voluptatem vel vituperabant, vel non usque adeo, ut alii, commendabant. At Eudoxus contra sentiens, illam simpliciter esse summum bonum sine tergiversatione pronunciabat.

IV. Vides partes diversas, imo adversas, &, ne nescias, rationibus suis utrinque instructas. Audiamus argumenta, & primo quidem eorum qui negant voluptatem bonam aut summum bonum esse. Hæc talia sunt. *Nulla voluptas est bona*, primo, quia omnis voluptas est generatio quædam quæ sensu percipitur. Tale quid autem non magis potest esse finis

aliquis

aliquis aut bonum quoddam (duo enim hæc, finis & bonum, nunc ut sæpe factum jam quoque ante est, pro uno & eodem accepimus) quam ædificatio domus ipsæ ædes: finis enim non generatio est, sed aliquid propter quod est generatio. Deinde omnis temperans fugit voluptatem. Tertio omnis vir prudens expetit non quod volupe est, sed tantum quod doloris expers. Quarto voluptas impedit actiones à prudentia proficiscentes. Quinto voluptas non est ab arte, sive, quod idem est, nulla est ars voluptatis, cum tamen nullum bonum humanum contingat sine arte. Postremo pueri & bestiæ eam potissimum sectantur: utrique autem hi recto de vita judicio carent.

V. *Non omnis est bona*, primo quia in confesso est apud omnes intelligentes, quasdam voluptates turpes & infames esse. Deinde & hoc indubitatum est, nonnullas earum adferre certum detrimentum, uti quum morbos pariunt. *Non est denique summum bonum, licet sit bona omnis*, eodem argumento quod ante attulimus: summum enim bonum finis est: at voluptas generatio quædam. Hæc sunt argumenta eorum qui partem negantem defendebant. Nunc quid contra Eudoxus adferat cognoscamus.

CAP. II. L. X.

VI. Rationes ejus hæ sunt. Primo, Quod omnia animantia non solum rationis expertia, sed & ratione prædita, appetunt, id summum est bonum. Describitur enim summum bonum

esse

esse id quod maxime ab omnibus appetatur. Voluptatem autem & homines & bruta expetunt. Deinde idem ex contrario manifestum esse dicit: Si enim, inquit, dolorem per se omnes fugiunt, expetibile quid sua natura est voluptas contrarium ejus. Tertio, Quod expetitur propter se & non ob aliud id est maxime appetibile adeoque summum bonum. Tale quid vero est voluptas, ut liquet. Inde enim est quod absurde quæras, si quenquam interroges, quare & quo fine voluptatem ex re aliqua capiat? Deniq; reddit unumquodque bonum qui cum conjungitur expetibilius. Ita Eudoxus: ubi tamen nota postremam rationem concludere forte voluptatem esse bonum quid, sed non tamen, esse summum bonum. Imo eodem argumento Plato contrarium probare voluit, & ostendere non esse illam summum bonum.

VII. Hæc sunt tela quibus olim alter in alterum pugnabant qui diversam de voluptate opinionem foverent. Nos ut quid verum sit in tanta sententiarum differentia aperiamus, rem aggrediemur hoc pacto. Primo ostendemus falli eos qui dicunt nullam omnino voluptatem esse bonam. Deinde describemus voluptatem & docebimus aliam illius esse naturam quam ipsis visa fuerit. Denique ubi jam ex dictis constiterit non omnes voluptates pravas esse sed quasdã bonas, jam liquebit & hoc, An ergo aliqua ex istis quæ bonæ sunt ipsum summum bonum dici possit, an vero potius conjunctum quid cum summo bono, siquidem adfinitatem cum eo quandam habere videatur?

VIII. Et

VIII. Et ut ſtatim ad primum accedamus obſervandum eſt, duobus modis certare eos qui adſerunt nullam voluptatem eſſe bonam: vel enim excipiunt tantum ictum adverſarii, id eſt, Eudoxi argumenta ſolvere nituntur, idque ſæpe peſſime, vel ipſi pugnant & argumenta adducunt. Illud prius, hoc poſterius videbimus.

IX. Primo autem malè reſpondent ad primam rationem Eudoxi, quum negant id ſummum eſſe bonum quod omnia appetunt: hoc enim ita ſe habere apud omnes in confeſſo eſt. Quod vero omnibus videtur, id rem eſſe in his talibus dicimus. Nec facile quis qui contra eat inveniet quidquam credibilius. Dicerent aliquid ad argumentum, ſi ea tantum voluptatem expeterent quæ mentis expertia ſunt. At etiam homines & quidem prudentes à voluptate non abhorrent. Ne nunc dicam, fieri poſſe ut & in pravis ſit vis aliqua & boni quidquam, quod ad aliud bonum, vel ipſis non animadvertentibus aut intelligentibus, feratur.

X. Neque rectius ſolvunt ſecundum argumentum de dolore voluptati contrario. Quod enim ajunt. Non ſi dolor ſit malum quid ideo voluptatem bonum eſſe, cum malum malo etiam opponatur, id quidem recte, ſed ad rhombum nihil. Statim enim Eudoxus habet quod regerat. Nam ſi non procedit ipſius argumentatio, nec dolor adverſatur voluptati ut malum bono, ergo ei adverſabitur ut malum malo. Atqui hoc fieri non poteſt: ea enim ratione utrumque etiam fugeretur, quod falſum eſt.

CAP.

Cap. XII. L. VII.

XI. Ita,inquam, contra Eudoxum diſputatum fuit. Nec ſane navius rem geſſerunt, aut rectius ſententiam ſuam confirmarunt qui alias negabant voluptatem eſſe bonum quid, quam hi illum oppugnarunt. Nam cum manifeſtum ſit bonum omne dupliciter accipi, uno modo pro eo quod ſimpliciter tale eſt, altero pro eo quod per accidens tantum, abſurdius nihil eſt, quam voluptatem omnem ſimpliciter dicere malam: poteſt enim vel per accidens id interdum conducere cuiquam, quod per ſe alias peſſimum eſt, & huic utibile eſſe aliquid, quod alteri noceat. Hoc experientia docet, & vel ex poëta diſces. Ita enim Lucretius hac de re:

Barbigeras oleaſter, inquit, *eo juvat uſq; capellas,*
Diffluat ambroſia quaſi vero, & nectare tinctus:
At nihil eſt homini quod amariu' frunde hac extet.
Sic quoq; *amaracinum fugitat ſus & timet omne*
Vnguentum: nam ſetigeris ſubus acre venenum eſt,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur,
A contra nobis cœnum teterrima cum ſit
Spurcities, eadem ſubus hæc jucunda videtur,
Inſatiabiliter toti ut volvantur ibidem.

Hæc non minus vere quam venuſte Lucretius.

XII. Quod autem dicunt voluptatem eſſe generationem quandam quæ ſenſu percipiatur, ideoque non finem aut bonum aliquod, in eo ſane oppidò falluntur. Quid enim, an omnis voluptas igitur vel generatio eſt, vel cum generatione? Non profecto: operationem potius quandam dices, & quidem habitus ejus

qui

qui ſecundum naturam eſt & ſine impedimento agit. Generatio vero longe aliud eſt: hæc namque τὸ Eſſe rei dat eamque producit, cum operationes & quæ has comitatur voluptas in re ſint jam producta. Lapſi ergo ſunt veteres illi cum generationem & operationem confuderint.

XIII. Deinde & illud abſurdum, voluptatem malam eſſe ſimpliciter, quia rerum quædam, ex quibus illa capitur, multorum ſæpe morborum cauſſæ ſint. Nam hoc pacto & ea quæ ſalubria ſunt, mala ſint, cum rei pecuniariæ noceat interdum ea ſibi parare, imo & contemplatio ipſa rerum omnia optima & pulcerrima in homine, quod illa non raro obſit valetudini.

XIV. Porro nec omnis voluptas impedit, ut illi cauſſantur, actiones à prudentia proficiſcentes, cum ſit voluptas in illis ipſis actionibus, ut nemini obſcurum eſt, quæ ſane impedire eas nequit: prodit enim & ipſa à prudentia, cum tamen illud quod impedit quicquam, alienum ab illo ſit quod impedit.

XV. Præterea quod dicunt nullam artem voluptatis eſſe; ſive voluptatem non eſſe artis opus, id quoque non vetat quo minus voluptas quædam bona ſit: nullius enim operationis propriè ars aliqua eſt, ſed potentiæ ejus, à qua eſt operatio. Quin & ſunt artes quarum voluptas opus aliquod eſt, unguentariam puta & culinariam.

XVI. Poſtremo, quod ajunt temperantem fugere

fugere voluptates, & prudentem expetere vacuitatem doloris tantum; non voluptatem, item, pueros hanc & bestias sectari, omnia ista uno & eodem modo solvuntur. Nam cum voluptates alias statuamus simpliciter bonas esse alias non simpliciter, respondere facile est, non illas sed has temperantem fugere, & harum respectu velle vacuum doloris esse prudentem, has item sectari pueros & bestias. Sunt vero istæ nihil aliud quam voluptates corporis: cæteræ enim pleræque ad animum spectant, & in temperante etiam reperiuntur.

Cap. III. L. X.

XVII. Atque ita solvere est argumenta, quæ contra voluptates supra adducta sunt. Præter hæc autem alia adhuc adferri solebant, sed ab aliis: quæ quidem ejusdem momenti sunt. Primo enim quum dicunt voluptatem non esse bonum quid, quia non sit qualitas, adseverant quod demonstrare non possunt (imo cujus contrarium manifeste verum est) Bonum in solo prædicamento Qualitatis esse. At annon & actiones virtutis adeoque felicitas ipsa bonum quid sunt?

XVIII. Similiter falluntur, quum ajunt voluptatem esse quid indefinitum quia intensionem & remissionem habeat, bonum autem omne rem definitam esse: nam si id quod magis & minus recipit, necessario indefinitum est, erit utique & justitia & omnis virtus ejusmodi, cum constet, alios magis alios minus justos existere,

minus item fortes alios, & alios fortiores, &c. ne nunc dicam quid de ſanitate, quam intendi & remitti & permanere uſq; ad certum terminum ſcimus, cum tamen magnum illa bonum ſit.

XIX. Porrò idem judicium eſt etiam de iſto argumento, quo probare & hi conabantur (nam ſimile ſupra habuimus) voluptatem non eſſe ſummum bonum, quia omnis motus & generatio, cujusmodi quid ſit voluptas, imperfecta eſſet. Nam falſum eſt voluptatem eſſe motum, cum huic omni propria ſit celeritas & tarditas, quæ tamen voluptati non competit. Non nego quidem, poſſe quenquam celerius aut tardius moveri ad voluptatem ſive conſtitui in voluptate, ut ita dicam, ſed tardius vel celerius gaudere aut delectari poſſe, ut quis celeriter ire, creſcere & id genus aliud poteſt, id vero pernego. Falſum item voluptatem eſſe generationem, ut & ante diximus: ſi enim ita res ſe haberet jam cujus generatio eſſet voluptas ejus corruptio eſſet dolor. At hoc fallit: neque enim in omni voluptate abſentia ejus cum dolore conjuncta eſt. Exemplo ſit ea quæ ex contemplatione capitur, imo etiam quæ ex olfactu: utraque enim vera eſt voluptas, nec tamen quum abeſt dolemus.

XX. Denique iis qui obtendunt, voluptas quasdam obſcænas & improbas eſſe, reſponderi dupliciter poteſt: namque vel negabimus tale quidquam revera volupe eſſe: (neque enim quia quibusdam male animo compoſitis ita videtur res ſic ſe habet, cum & febricitanti appareat amarum quod dulciſſimum eſt, imo mel ipſum)

vel

vel dicemus esse quidem non simpliciter malum, sed huic vel isti, idque ideo quia eo quod jucundum est non fruatur ut & quatenus decet: inde enim esse quod voluptas sit obscæna, quod improba, si modum quis excesserit, si voluptatem ex re ceperit ex qua non oportebat, vel quum non oportebat, &c. Ita divitem esse bonum est, at non ex proditione patriæ, non ex rapto, non testamentorum corruptione, aut re aliqua simili.

XXI. Atque hactenus solvimus argumenta omnia eorum qui olim contra voluptatem pugnarunt. Quod tamen non factum ideo à nobis est quod statuamus vel omnem voluptatem bonam esse, vel etiam quandam ipsum summum bonum, sed ut manifestum evaderet differre voluptates, & alias bonas, alias malas esse, atque ex bonis quidem quasdam cum omni actione virtutis adeoque ipso summo bono conjunctas: Nam quod ipsum summum bonum non sint inde satis constat, quia agere quod virtutis est & honestum per se vult vir bonus, & vellet etiamsi cum nulla hoc conjunctum voluptate esset. Hoc ergo primum est quod exequendum nobis erat in pertractatione voluptatis. Nunc ad alterum accedemus & ostendemus non paullo accuratius quid sit voluptas quam fecerunt veteres.

CAP. IV. L. X.

XXII. Est autem ea nulli forte rei similis magis quam visioni: ut enim hæc non perficitur tempore sed quandocunque est, tota est, ita & voluptas. Vnde id primo constat eam nec motum, nec generationem esse, ut veteres sibi persuaserunt. Non motum: motus enim omnis in tempore est, temporeque perficitur. Non generationem: generatio enim nulla est visionis, neq; ejus quod in puncto est, ut quidem illi vocabulum generationis accipiebant. Deinde sicut sentire omne est operatio sive actio quædam, & illa quidem perfecta est subjecti quam optime dispositi & natura comparati ad id circa quod operatio versatur: ita & voluptas se habet. Adest operationi & quidem hoc perfectior est quo rectius subjectum compositum: ejus enim quod optime se natura habet minimeq; impeditur operationes sunt omnium perfectissimę & jucundissimæ.

XXIII. Et hinc jam colligere est quid revera sit voluptas, perfectio scilicet quædam operationis quæ ex ea pullulat ut ex bona corporis conformatione pulcritudo: non tam enim habitui similis est quam bono alicui & fini, qui ex eo provenit.

XXIV. Esse autem tale quid eam necesse est, idque inde etiam constat, quod prout operatio est intensior aut remissior, ipsa quoque major aut minor est. Vnde & res novæ delectant magis quam eæ quibus jam adsuevimus: circa illas enim operatio est intensior, circa has vero jam elanguit.

CAP.

Cap. XIII. L. VII.

XXV. Atque ita quoq; manifestum est quid revera sit voluptas: estq; istud secundum, de quo nobis dicendum fuit: sequitur tertium. Hoc ex superioribus tanquam corollarium deducitur: facile enim de eo liquere potest cæteris recte expositis. Ostendimus hactenus non omnem voluptatem esse pravam, nec eam generationem quandam, sed perfectionem operationis alicujus. Quidni ergo si non omnes pravæ sunt, una aliqua optima esse queat? imo quid vetet aliquam summum bonum esse? Imo si est in operatione, necesse est cum felicitas sit operatio quædam optima, & voluptatem quæ eam comitatur optimam esse. Vel ergo voluptas quædam ipsum summum bonum erit, vel conjunctissimum quid cum eo. At prius fieri non potest, si accurate rem putes, ut supra diximus. Omnino ergo posterius. Tantum etiam de tertio.

Cap. V. L. X.

XXVI. Diximus hucusq; de natura voluptatis idq; copiose satis. Nunc breviter agendum etiam de ejus speciebus est: ita enim plene quantum quidem in hac disciplina opus est ejus doctrina cognoscetur. Differre autem specie voluptates multis argumentis ostendi potest: primo enim perficiunt operationes specie differentes. Non possunt ergo non & ipsæ specie differre. Deinde una voluptas imminuit aut obscurat imo excludit sæpe aliam. Non igitur ejusdem omnes naturæ sunt. Tertio sunt quędam propriæ certo subjecto, quædam contra ab eo alienæ.

Quarto bonæ aliæ sunt aliæ malæ:& operationes enim tales sunt.Deniq; unicuiq; animali est propria operatio quædam, equis,canibus,leonibus, homini. Quare & voluptas. Differentium autem specie voluptas & ipsa specie differt. Imo in homine vicissim reperiuntur specie differentes operationes, & alius aliis delectatur: diversi enim diversorum sunt habitus & dispositiones: quanquam vera & optima hominis ipsique propriissima est una tantum & operatio & voluptas.

CAP. XIV. L. VII.

XXVII. Hæ sunt species voluptatis: atque ita de voluptate dictum jam esto: nam quæ philosophus adhuc cap.XIV. lib.VII. disputat obiter de voluptatibus corporis ea cum jam ante explicata sint, partim ubi de temperantia, partim ubi de continentia egimus, repetere hic supersedemus.

CAP. VI. L. X.

XXVIII. Quæ ergo de voluptate dicenda erant absolvimus. Superest adhuc, ut, quemadmodum initio hujus disputationis monuimus, repetamus quædam hic de summo bono, & ita tandem finem universæ doctrinæ imponamus.

XXIX. Fit autem hoc eo consilio & fine non solum ut, quandoquidem hactenus media investigamus, quibus ad summum vitæ bonum pervenitur, illud accinctis jam ad agendum & tam nobile spatium decurrendum denuo, tanquam meta, in conspectu ponatur, sed etiam ut, quia præter hoc summum bonum hominis aliud ejusdem adhuc est multo sublimius isto & divi-

divinum quippiam, ad id quoque paulatim adſpiremus. Tum demum enim excitari animus ad cœleſtia & divina poteſt ubi morum virtute ille jam imbutus fuerit, vel ſaltem recta de vita inſtituenda opinio ei inſederit, non ante. Adſeras te quippe hominem prius neceſſe, quam de eo cogites quod ſupra res humanas eſt. Nam qui vel voluptatibus totum ſe animiq; oculum immerſit, vel alias affectibus obnoxius eſt quantus eſt, quî quæſo is reſpiciat ad divina? quî erigat mentem ad contemplandam rerum naturam & univerſitatem ejusque principem, cum illam plus quam trabali clavo corpori affixam gerat?

XXX. Hoc ergo fine de ſummo bono hic quædam repetuntur & ejus diſtinctio in theoreticum & practicum oſtenditur. Non eſt autem opus multis id facere, nedum integra disputatio de eo hic denuo texenda ſit. Conſtat ex iis quæ ſuo loco pluribus demonſtrata ſunt felicitatem & ſummum bonum operationem quandam ſive actionem eamque per ſe expetibilem eſſe, quale quid nihil aliud ſit quam actio virtutis optimæ quæ eſt in homine. Hanc enim propter ſe expeti non propter aliud, cum ſola maxime delectet, non ſane pueros & eos qui puerili animo ſunt, pueris deteriores, nec illos qui in voluptatibus corporis ut mancipia perpetuo volutantur, ſed viros honeſtiſſimos omniumque opinione ſummos. Huc ergo nervi intendendi omnes, ut virtutem conſequamur & quæ virtutis ſunt ſtrenue agamus, perſuaſi non in ludo aut joco felicitatem noſtram ſitam eſſe eoque vitam

teri oportere,ſed annitendum,allaborandum,ut præclari quidquam geramus, neu vitam ſilentio tranſigamus ut pecora.

CAP. VII. L. X.

XXXI. Quod cum ita ſit facile etiam manifeſtum eſt, duplex homini obtingere poſſe ſummum bonum, unum id de quo diximus, & alterum eo præſtantius.Si enim felicitas eſt operatio ſecundum virtutem optimam, contemplatio ſane quæ eſt operatio ipſius mentis, rei in nobis præſtantiſſimæ,felicitas quædam erit,& hęc quidem eo major quā altera, quo excellentiora ſunt divina humanis. Summum igitur hoc & abſolutum noſtrum bonum eſt quod conſequi homo natura duce poteſt: neq; hoc largitur vitam hominis, ſed, ſi ita loqui fas eſt, divinam. Solet autem Græca voce bonum theoreticum appellari.

CAP. VIII. L. X.

XXXII. Alterum vero eſt & ipſum virtus ac functio quædam, ut diximus, ſed quæ ad totum corpus attinet. Neque enim ſeparata eſt ut contemplatio,aut corpori non obnoxia, cum in corrigendis & tranquillandis affectibus omnem operam ſuam ponat, circa honores, pecunias & talia verſetur.In hoc ergo bono conſiſtit vita hominis ſive humana, vita civilis: quare & bonum humanum ſive rerum humanarum,non aliter,à philoſopho vocatur. Quod obſerva, ne putes eum peccaſſe;quod cum de ſummo bono disputaret, non proteſtatus ſit de ſolo hoc ſe quærere: eo ipſo enim quum illud vocat bonum hominis, theoreticum ab eo diſtinguit.

Cap. IX. L. X.

XXXIII. Et ita quoque ſe habet diſtinctio illa ſummi boni. Quare ut finem nunc tandem imponamus, unum adhuc nota & pectori infige quisquis es, *hæc tradita hactenus eſſe, non ut ea ſciamus tantum, ſed ut tota vita ad unum omnes agamus.* Nam cum practica ſit hæc diſciplina, perfecta non eſt ſi in ſola cognitione ſubſiſtat.

XXXIV. Illud ergo faciamus oportet: nos quidem qui recte educati videri volumus, imo inter doctos haberi, quique præcepta tam præclara ipſi ſcimus, ultro & noſtrapte ſponte: cæteros optimæ leges atque inſtituta rerumpub. eodem impellent, ut ita univerſi, quoad fieri poteſt, vitæ felicitate potiamur. Hac enim fini mortales primum natura duce in unum coierunt, hac civitates & reſp. conditæ, hac denique principes conſtituti, & armata eſt virtus autoritate publica, non ut viveretur ſolum, ſed ut bene viveretur ac feliciter.

XXXV. Verum de civitate & repub. ac reliquis iſtis agit altera hujus philoſophię pars quæ Politica inde appellatur.

Nos hic finem facimus, gratiis actis ſummo Numini, fonti & origini omnis virtutis, cui uni & unico vero Deo æternum ſit honos & gloria.

Diſputationum Ethicarum

FINIS.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

NATURA BONI ET MALI,

Publice

HABITA IN ILL. ACADEMIA JULIA

XII. K. MAII. cIɔ Iɔ cXIV.

Resp. JOAN. CONZENO Osterod.

THESIS I.

CUM intellectus nostri ea conditio sit, ut simplicem Entis naturam simplici intelligentia assequi perfecte non possit, multis eam cōceptibus ut percipiat necesse est.

II. Vnde fit, quod aliter Ens consideramus ut Essentiam quandam habet, aliter, ut in se & sua natura indivisibile quid est, aliter, ut quid, quod ad intellectum collatum conforme est intellectui, & aliter denique, ut quid, quod si ad appetitum comparetur, appetitui quoque congruit.

III. Prima consideratio est modorum Entis, altera rerum Vnitatis, tertia Veritatis, quarta & ultima Bonitatis: cum tamen & Entis natura, & rerum Vnitas, Veritas, & Bonitas unum idemque in se sint, & consideratio tantum à consideratione differat

IV. Nihil

IV. Nihil enim vetat, ea quæ in sua natura non distinguuntur, distingui à ratione, & non uno conceptu formali concipi, quorum revera unus tantum conceptus objectivus est.

V. Quare etiam passionum Entis hæc proprietas est, ut subjecto suo neque positivi quidquam addant, neque realiter ab eodem distinguantur.

VI. Positivi addere nihil possunt, quia ipsum subjectum ambitu suo quidquid positivum est complectitur: neque realiter distingui, cum materialiter consideratæ nihil aliud quam ipsa Entis natura sint, quæ diversa tantum ratione & conceptibus à nobis apprehenditur.

VII. Considerari vero ita diversis modis Ens non potest, certe non ea consideratione, quæ naturam ejus explicet, nisi vel sub ratione negationis, vel cum relatione rationis & ordine quodam ad aliud.

VIII. Formaliter itaque Unitas negationem divisionis dicit, Veritas & Bonitas relationem, non realem, sed rationis, illa quidem ad intellectum & sensum, hæc ad voluntatẽ & appetitum.

IX. Verum hoc alibi explicatur: nos de bonitate tantum in præsentia agemus.

X. Describitur Bonum à philosopho in ethicis *a* ex sententia veterum, quod sit illud quod omnia appetunt: quæ tamen descriptio, ut recte adnotat eo loco Thomas, à posteriori est. *a ethic. Nic. cap.* 1.

XI. Non enim propterea res bona est, quod appetatur, sed appetitur, quia bona est: eodem plane

plane modo, quo res vera non eſt, quia eam veram eſſe concipimus, ſed veram concipimus, quia vera eſt.

XII. Appetibile enim eſt quaſi proprium accidens, quod naturam boni conſequitur, ſicut riſibile naturam hominis, & viſibile naturam coloris. Vt igitur homo non eſt homo, quia riſibilis eſt, ſed riſibilis, quia homo; & color non eſt color, quia viſibilis, ſed viſibilis, quia color: ita & bonum non, quia appetibile, bonum eſt, ſed appetibile, quia bonum, ut recte id Cajetanus explicat. *Ad 1.p.q.5.a.1.*

XIII. Cum vero appetibile quid duplici modo dici poſſit, uno id, quod revera tale eſt, altero, quod ſua natura appetibile quidem non eſt, per errorem tamen appeti poteſt, & ſæpe appetitur, duplex quoque bonum eſſe inde intelligitur, aliud apparens tantum, aliud revera bonum: quod enim ſub ratione boni appetitur, & tamen bonum revera non eſt, bonum apparens dicitur.

XIV. Cujus genera multa ſunt, prout multis modis aberrare appetitus & cognitio poſſunt.

XV. In iis enim quæ cognitione prædita ſunt, appetitus cognitionem ſequitur, & non alia de cauſa aberrat, niſi quia cognitio recte ſeſe non habet.

XVI. Sed bonum apparens, quia eo modo, quo apparens tantum dicitur, bonum non eſt, relinquamus, & ejus, quod revera bonum eſt, naturam amplius declaremus.

XVII. Verum bonum itaque illud dicimus, quod

quod conformitatem & convenientiam cum appetitu habet: appetitum autem intelligimus eum, qui recte compositus sit.

XVIII. Vt enim verum non est, quod intellectus vel sensus male dispositi verum judicant, ita quoque bonum non est, quod appetitui male disposito congruit.

XIX. Sicut v.g. quod cum voluntate intemperantis convenientiam habet, propterea bonum non est, quia cum appetitu isto congruit, cum voluntas intemperantis depravata sit, ut depravata quoque ejus cognitio est.

XX. Propter congruentiam autem cum appetitu rem bonam esse inde constat, quod neque quidquam appetitur, nisi quod appetitui congruum est, & quidquid appetitur, non aliter, quam ut & appetitui congruum, appetitur: uniri enim appetibile cum appetitu debet, sicut intelligibile cum intellectu, quod, nisi per congruentiam & convenientiam aliquam, fieri nequit.

XXI. Quo pacto omne Ens bonum est, cum nihil sit, quin appetitui congruum & consentaneum esse quodam modo possit: quod ex natura perfectionis manifestum est.

XXII. Ratione enim perfectionis congruentia cum appetitu est in rebus, cum non nisi in id, quod rem perficit, appetitus omnis ferri natus sit.

XXIII. Ita etiam, ut perfectionis natura à bonitate non admodum diversa esse videatur, & discerni rei bonitas & perfectio inter se sæpe vix possint.

possint. Perfectio tamen absolute tantum Esse dicit, Bonum Esse cum relatione.

XXIV. Quare hic jam antequam pergamus dicendum aliquid de natura Perfecti est.

XXV. Perfectum quid duobus modis dicitur simpliciter; & secundum quid. Simpliciter perfectum, cui nihil potest addi amplius qualitatum quæ rei naturæ debentur, sicuti homo perfectus dicitur, qui virtutibus intellectivis & moralibus perfectus est.

XXVI. Perfectum secundum quid dicitur ipsum esse sive existere rei, cui inhæret, altera illa, quæ simpliciter perfectio appellatur.

XXVII. Vocatur perfectum secundum quid, quia perfectum alias proprie & simpliciter id tantum dicitur, quod perfectione naturæ rei supervenience & addita perficitur: quæ enim, cum jam sint, perficiuntur amplius, perfecta proprie nominamus: cujusmodi quid in perfectione, quę rebus ab ipsa essentia sua tribuitur, fieri non posse satis manifestum est.

XXVIII. Perfectum tamen id quoque recte dicitur, quia *perfectioni omni alii supponitur*, ut recte docet Javellus *a*: quin prima rei perfectio est, quam, in quantum Ens est, unaquæque res habeat oportet: *Est enim Ens cui Esse debetur*, ut idem Javellus elegantissime disputat.

a *Metaph.* 4. *q.* 3.

XXIX. Eadem itaque ratione etiam Bonum aliud simpliciter bonum est, aliud bonum secundum quid: illud, quod propter qualitates essentiæ suæ debitas appetibile est, hoc quod propter

propter Esse suum tantum appetitur. Priori modo vir bonus dicitur, qui quæ homini conveniunt agit, & natura bona, quæ perfecte operatur, ut operari eam decet. Posteriori modo omne Ens bonum est, in quantum est. Esse enim omnia appetunt, & destructionem sui quam maxime abhorrent.

XXX. Porro Bonum secundum quid alias transcendentale vocatur, quia in omni Ente reperitur: idem etiam, quia ipsa rei essentia & substantia est, quibusdam essentiale & substantiale, neque non naturale eodem sensu, dicitur.

XXXI. Competit autem omni ei, quidquid Entitatem sive essentiam aliquam habet, quanta etiam cunque ea sit, cum prima, ut diximus, rei perfectio sit essentiam habere, absque qua reliquæ perfectiones nullæ sunt.

XXXII. Quò accedit, quod non tantum primum Ens est ipsa bonitas, sed & omne Ens à Deo est: quæ autem ab ipso sunt, *quidni boni sint, quia à bono opifice sunt, qui sui similitudinem omnibus, quæ ab ipso sunt, imprimit?* quod Joan. Pici Mirandulæ argumentum est. *lib. de Ente & Uno c.* 8.

XXXIII. Essentiam vero habent non tantum quæ existunt, sed & quæ non existunt, modo existere revera possint. Et quando omne Ens bonum esse dicimus, non quæ existunt solum, sed omne illud, cujus aliqua vera essentia est, intelligimus.

XXXIV. Nullum igitur Ens, etiam infimi gradus, à natura Bonitatis excludendum est: neque materia quoq; prima, utut ea sit, potius, quid ipsum

ipſum appetens perfectionis, quam ob perfectionem ullam appetibilis.

XXXV. Quanquam enim materia non exiſtit, niſi per formam, & actum in ſua natura nullum habet: tamen neque forma eſſe niſi in materia poteſt, neque eſſentiam rei, niſi cum ea, ulli impertiri.

XXXVI. Quia itaque eſſentia rerum naturalium omnino bona eſt, bonitatem quoque illa, à quibus eæ eſſentiam ſortiuntur, habeant neceſſe eſt: etſi diſpari modo, ut & eſſentiam non æque conſtituunt.

XXXVII. Quin *bonum quoddam eſt quadamq; perfectio, eſſe boni ſaltem capax*, ut rectiſſime Contarenus docet. *lib.3.compend.prim.phil.*

XXXVIII. Quare etiam materia prima, ut Ens, in ſuo genere bona eſt, licet infimo ſicut Entitatis ita & Bonitatis gradu recte cenſeatur.

XXXIX. De Entibus autem mathematicis quod hic litem movere ſolent, in quibus etiam Ariſtoteles boni rationem inveniri negat, id de ipſis, non ut materiæ ſuæ concreta ſunt, accipiendum eſt, (eo enim pacto ſicuti revera exiſtunt non minus, quam alia rerum naturalium accidentia, ita bona quoque omnino ſunt, quod & *a* Cajetanus monet) ſed ut mathematica ſunt id eſt, ut mathematica abſtractione à materia ſeparantur: nam eo ſenſu Ariſt. de iis locutus eſt. a *Ad 1.p.q.5.c.3.*

XL. Atque hoc pacto res difficultatem magnam non habet. Aut enim Entia mathematica eo modo exiſtere ſimpliciter non poſſe ſtatuis, atque

atque ita esse quoque negas, & bonitatem iis, ut non-Entibus, merito adimis: quidquid enim existere simpliciter impossibile est, id certe Ens non est. At revera existere eo quoque modo posse putas, neque id esse simpliciter impossibile, ut accidens sine suo subjecto existat: & ita bona etiam non negabis, neque contradices Aristoteli: hic enim in priori sententia sine dubio fuit, & accidens existere extra subjectum simpliciter impossibile statuit.

XLI. Quanquam qui posteriorem sententiam amplectuntur, quia vix ostendere possunt, fieri posse ut Entia mathematica extra subjectum suum existant (accidens enim ullum extra subjectum existere sitne possibile controversum adhuc est) satis, quod volunt, non demonstrant: supponunt quippe, ut certum, quod pridem à multis in dubium vocatum fuit.

XLII. Interim ratum nobis est, omne Ens bonum esse, neque quidquam revera essentiam habere, quin bonitatis quoque particeps quodam modo sit.

XLIII. Sed ut pergamus, Bonum quod simpliciter tale dicitur, distinguitur in naturale & morale. Naturale est, quod rei à qualitatibus naturalibus, quibus eam perfectam esse decet, obtingit, ut corpus sanum & pulcrum, bonum naturali bono est. Morale est rectitudo, quæ in moribus & voluntate ejusque actionibus requiritur, ut virtus bonum morale dicitur.

XLIV. Discernitur autem facile bonum naturale à morali, & utrumque à transcendentali:

naturali enim bonitate præditus esse quis potest, qui careat morali, & contra morale quis habere, qui naturali careat: & deniq; utraque carere potest, qui tamen transcendentalem habeat.

XLV. Ita præditus bonitate morali est, qui bonis est moribus, atque idem tamen naturali bonitate careat, si bona corporis constitutione non sit: & contra bonitatem naturalem habet, qui bona corporis constitutione est, neq; tamen non, si idem pessimis moribus sit, bonitate morali caret.

XLVI. Utraque à transcendentali discernitur, quod esse quis & pessima corporis constitutione & pessimis moribus possit, qui nihilominus bonitatem transcendentalem habeat: quia enim homo est, bonum quid erit, cum ipsa essentia hominis, ut omnis Entis, bona sit, sed ea bonitate quæ transcendentalis vocatur.

XLVII. Bono transcendentali, naturali & morali addi possit forte artificiale, quod in artificii perfectione consistit.

XLVIII. Deniq; ad bonum naturale morale refertur & bonum supernaturale, de quo Theologi agunt: quidquid enim homini supernaturaliter boni obtingit, vel naturam ejus vel mores perficiat oportet.

XLIX. Verum nos his omissis, naturam Boni in genere investigare pergimus.

L. Cum igitur supra dictum sit, Bonum esse id quod omnia appetant, & à quo moveatur, quodque persequatur appetitus, videtur Bonum omne caussæ finalis rationem habere. Et

certe philosophus ita statuit, quando omne, quod per se & suapte natura bonum est, finem esse dicit *a*: à quo neque dissentit Averroës *b*, qui bonum & ipse non dici nisi per finalem caussam docet: neque non idem Thomas quoque adscrit, ubi ex instituto rem istam pluribus persequitur. a *In metaph. loco supra cit.* b *Aver. 2. metaph. comp. 1. q. 5. a. 4.*

LI. Nos ut bonum rationem finalis caussæ habere non inficiamur, ita neque putamus semper & omne bonum finem esse, nisi improprie loquaris, & finalem causam non eam tantum quæ actu est, sed & quæ potentia, intelligas, quo modo caussæ omnes ab Aristot. 2. Physic. distinguuntur.

LII. Si enim vel proprie ubiq; finem accipias, vel tantum ut actu finis est, non semper coincident bonum & finis, cum & Deus bonus fuerit ante, quam ullius creaturæ finis esset, & multa bona sint, quæ tamē quia ignota sunt, appetitum nullum movent, ac proinde neq; actu fines sunt.

LIII. Quod si vero non ita proprie accipias finem, ut semper sit quid diversum ab eo, cujus est finis, in Deo quoque bonum rationem finis habere dici potest, id videlicet quod sua ipsius natura & bonitate ab æterno fruitur. Et deinde si causam finalem intelligas non tantum eam, quæ finis actu jam est, sed & quæ finis esse potest, nihil bonum est, quin rationem caussæ finalis habeat. Nam si bonum est, potest appeti, si appeti, certe efficientem quoque movere & finis esse potest.

LIV. Atque hanc esse mentem summorum philosophorum existimamus, quando omne bonum habere rationem caussæ finalis docent.

LV. Cæterum ut Entis & omnium ejus passionum reliquarum, ita & Boni magna analogia est. Cum enim cujusque rei bonitas fundamentum habeat in ipsius essentia & Entitate, fieri aliter non potest, quin ut Entis sic & boni natura non omnibus eadem ratione, sed secundum prius & posterius tribuatur.

LVI. Hinc est, quod Bona quædam sunt, quæ propter se appetuntur simpliciter, ut sapientia virtus, sanitas, quædam, quæ appetuntur, propter alia, uti sunt media, quibus ad bona illa altera pervenitur: quo pacto medicamentum bonum est, quod sanitatem procurat.

LVII. Quæ distinctio Boni aliter ita exprimi solet, ut bonum aliud utile dicatur, aliud honestum & delectabile. Vt enim alias in vero motu prius ad medium devenitur, quam ad terminum, & terminus dupliciter accipi potest, vel pro ipsa re, ad quam tendit motus, vel pro quiete in re ista: ita & quando appetitus fertur in bonum, media prius aliqua bona persequitur, quam ultimum bonum adipiscatur; quod deinde si in se consideres, honestum dicitur, sin vero consideres ut terminum appetitionis & quietem, delectabile est.

LVIII. Vtilia autem dicuntur illa intermedia bona, quibus tantum uti dicimur, quia non propter se, sed propter aliud appetuntur: quod enim

enim propter ſemetipſum expetimus; illo non utimur.

LIX. Vtilia bona ab Ariſtotele 1.eth. laudabilia quoque dicuntur: delectabilia vero & honeſta, honorabilia vocat, idque eadem de cauſſa, cum & laus illorum tantum propria ſit, quæ ad alia conſequenda uſui ſunt, iis vero quæ propter ſe expetuntur, non laus, ſed honor debeatur.

LX. Vtraque bona tam laudabilia, quam honorabilia, viciſſim in magna differentia ſunt: ſed laudabilia ab honorabilibus menſurantur.

LXI. Honorabilium primum & princeps eſt id, à quo cætera omnia bonitatem ſuam ſortiuntur, quod eſt primum Ens, & prima rerum cauſſa, Deus Opt. Max. hic enim ut eſſe per eſſentiam habet, & ipſe eſt ſua eſſentia, ita & bonitatem à ſe & ſua natura obtinet, & ipſa bonitas eſt: ad quam ſi exigatur Bonitas cæterorum Entium, umbra ea potius bonitatis, quam bonitas ſit, juxta illud: Nemo Bonus Nisi Solus Deus.

LXII. Cætera igitur bona omnia, ſicut eſſentiam à primo Ente habent, ſic & bonitatem ab eodem conſecuta ſunt: & cum non ſint, niſi quoad à primo bono dependent, in ipſo quoque bonitatem ſuam ſitam habent, & ejus bonitate omnia bona ſunt.

LXIII. Quare omnis creatura, non tantum ſua, ſed & primi Boni bonitate fruitur, cui quoque, quo magis unitur, hoc beatior eſt: primum Bonum tantum ſe ipſo ſolo fruitur.

LXIV. Qua de re insignis locus est apud Averroëm, quem facere non possumus, quin hic adscribamus. Legitur epit. Metaph. tract. 4. *Vnumquodque*, inquit, *præter primum*, (principium puta) *delectatur Esse suo, & primo etiam, & lætatur in substantia sua, & in primo quoque. Primum autem delectatur & lætatur essentia sua tantum, & illud, quod lætatur ipso, idem lætatur essentia sua. Et quia ejus apprehensio est præ cæteris nobilior, ideo ejus delectatio est major omnibus delectationibus, & licet communicet cum reliquis* (iterum subintellige principiis) *in hoc, quod delectantur continuo, nihilominus si eorum delectatio habet perpetuitatem, illud fit per ejus essentiam.* Hæc ita Averroës.

LXV. Vnde bonitatem omnem creaturarum in bonitate creatoris sitam esse apparet: ad cujus etiam similitudinem quo quid propius accedit, eo bonitatis plus habet & nobilius est.

LXVI. Atque hinc est, quod hominis bonum summum simpliciter Plato statuebat, DEUM SEQUI, & Aristoteles idem dicebat SAPIENTIAM: rerum enim divinissimarum & honorabilissimarum sapientia est, qua homo vivit, non quoad homo est, sed quoad quid est in ipso divinum, & sapientiam Aristoteles definit. *6. eth. c. 7. & 10. c. antepen.*

LXVII. Ex his etiam liquet, longe diversam rationem esse, qua Deus quid, ut bonum appetit & amat, & qua creaturæ: hæ enim amando bonum sibi quærunt, ipse amando aliis bonitatem impertit: istæ propter indigentiam appetunt,

petunt, & agunt eo fine, ut indigentiam istam expleant: ille propter bonitatis suæ abundantiam agit, quia bonitatem derivatam in ea, quæ amat, cupit. Hæc itaque analogia Boni.

LXVIII. Postremo loco etiam de Bono per accidens verbo dicendum est. Hoc cum bonum in sua natura non sit, boni tamen rationem induit inde, quod in caussa est, quo malum majus declinetur. Sic de Juda in sacris dicitur: *bonum esse ei, si natus homo iste non fuisset*; non quod simpliciter bonum si, non esse, sed quod eo pacto malum evitetur, quod, quam non-esse majus est: minus enim malum, si comparetur cum majori malo, boni rationem habet, & natum non esse, minus malum est, quam æternis pœnis excarnificari: quare illud quoque quam hoc, satius est.

LXIX. Fit autem istud omne per accidens, quod id, quod sua natura bonum non est, appetitur: alias nullus appetitus recte compositus, sive is naturalis, sive animalis, sive intellectivus sit, in malum vel non bonum ferri potest. Et tantum de Bono.

LXX. Nunc etiam de malo paucis videbimus: bonum enim quid sit & dicatur malum, non aliunde cognoscitur.

LXXI. Cum igitur supra demonstratum sit, omne Ens bonum esse; quod bonum non est, Ens quoque non sit oportet: quare Malum non-Ens erit.

LXXII. Non-Ens dupliciter quid dicitur: namq; & id non-Ens vocamus, quod simpliciter

 nihil

nihil est, negatque simpliciter Esse, dictum inde non Ens negativum; & id quoque, quod & ipsum quidem negat Esse, verum non simpliciter, sed illud quod esse, & de eo, in quo esse poterat.

LXXIII. Non-Ens negativum Malum non est, cum malum nullum, nisi in bono aliquo, sit; neque enim, ut bonum quoddam invenitur, cujus natura est ipsa bonitas, ita quoq; malum datur, cujus natura sit ipsa malitia, cum non-Entis natura nulla esse possit.

LXXIV. Erit itaque Malum non-Ens privativum, quod describitur privatio ejus, quod esse poterat, in re ea, in qua esse potuerat: nisi enim adesse poterit, non privatio ejus, sed pura tantum negatio erit: neque esse in alia re privatio potest, nisi in ea, in qua id, cujus est privatio, vel fuerit, vel esse potuerit.

LXXV. Atq; huc respexit Aristoteles, cum nihil præter res malum esse diceret: malum quippe omne, quod in rerum natura invenitur, bono alicui inhærere ostendere voluit.

LXXVI. Vnde jam patet, non omnem negationem boni Malum esse, sed illam tantum, quæ eam bonitatem negat, quæ rei isti debebatur, & adesse poterat.

LXXVII. Neq; igitur ulli rei malum est, quod ea bonitate careat, quæ nec ipsi debebatur, nec adesse poterat; ut homini malum non est, quod robore leonis, vel velocitate cervi præditus non sit: neutrum enim horum in homine ut esset, requirebatur: qua de re vide Thom. 1. q. 48. a. 1.

LXXVIII.

LXXVIII. Ex his jam manifestum est, malum nihil aliud, quam privationem & defectum boni esse: quod unde in rebus inveniatur, ita porro considerandum est.

LXXIX. Summum quidem & primum Ens, quia bonitatem per essentiam habet, amittere eam nullo modo potest: at amittere Entia creata possunt.

LXXX. Res enim quædam sunt generabiles, & corruptibiles, quæ præter materiæ suæ conditionem ex qua constant, quandoque formam suam habent, quandoque vicissim amittunt: unde corruptio & malum in iis est, quod in aliis, quæ materiæ tali obnoxia non sunt, haud contingit.

LXXXI. Nam corpora cœlestia etsi materiam & ipsa habent, neque tamen ea talis est, neque ita deficere possunt: multo minus in substantiis incorporeis id evenit, cum hæ nudæ formæ sint, materiæ expertes, à qua sola omnis rerum vicissitudo est.

LXXXII. Cæterum quorum natura deficere potest, eorum operationes quoque naturam consequentes, & potentia ad operandum, à defectu immunes non sint necesse est: quod id in rebus generalibus & corruptibilibus quotidie experimur: ut contra, quorum natura non deficit, eorum quoque operationes & potentia operandi non deficiunt.

LXXXII. Nam quod etiam in incorporeis potentia operandi & operatio, quæ essentiam & naturam eorum consequũtur, deficere possunt,

 non

non quidem propter materiam, quam nullam habent, ſed quia gratia naturæ ſuperveniente carent, id explicare ad Theologos pertinet.

LXXXIV. Et hic unus modus eſt, quo res creatæ deficiunt: alter eſt, quod bonitatem deſerunt, non eam per quam natura earum ſubſiſtit, ſed qua per ſuam operationem ordinem ad primum Ens habens.

LXXXV. Omnis enim creatura, & maxime quidem intelligens, bonitatem non tantum in ſua natura, ſed in creatione ſitam habet: ad quam per operationes ſuas niti & adſurgere debet.

LXXXVI. Hæ operationes ſive actiones ſunt eæ, quarum principium voluntas eſt: quæ tum deficiunt, quando à fine ſuo aberrant, quod omnibus illis evenire poteſt, quarum ultimus finis non eſt ipſa earum eſſentia: (nam Eſſe ſuum proprium & ſuam naturam nihil non appetit.)

LXXXVII. Omnis autem voluntatis creatæ alius adhuc finis eſt præter bonum ipſius eſſentiæ rei ejus, cujus eſt voluntas, ipſum videlicet primum Bonum, Deus Opt. Max. Quare etiam in omnis creatæ voluntatis actione defectus eſſe poteſt; in ſolius voluntatis divinæ actione non poteſt, cum ipſemet omnium, quæ agit, ſibi finis ſit.

LXXXVIII. Quamobrem ut quod dicimus, in pauca conferamus, inde malum eſt, & ita in rebus oritur, quod partim res generabiles & corruptibiles à ſua natura & naturalibus operatio-

rationibus deficere possunt, partim etiam agentia per voluntatem ab ultimo fine, in quem præter suam ipsorum essentiam ferri debebant, aberrant, & in altero fine tantum subsistunt, qui propriæ ipsorum essentiæ bonum est: hujus enim amori quando ita inhærent, ut à summi finis amore abeant, deflectunt à bonitate sua & deficiunt. Sed de his, qui velit, plura apud Thomam videat compend. Theol. *a* ex cujus sententia nos hæc proposuimus. *a.c.* 110. *& seqq.*

LXXXIX. Vnum adhuc sciendum est: cum malum alias defectum naturæ, alias defectum operationum & actionum esse dixerimus, ut actionum defectus est, peccatum proprie vocari, etsi defectus potentiæ quoque operandi ita vocari solet.

XC. Et hinc jam res liquida de caussa mali, de qua alias disputari multis hic solet. Cum enim malum Ens non esse, sed boni defectum constet, facile quoque patet caussam per se & veram ejus nullam esse.

XCI. Quod enim Ens non est, illius neque forma, neque materia esse potest, nisi subjectum, ut fieri solet, materiam voces, quo modo tamen caussa non est materia: neque finis etiam, neque caussa efficiens.

XCII. Non forma vel materia: formam enim Esse sequitur, cujus privatio est malum: materiam vero nihil habet, quin idem forma quoque præditum sit: non finis vel efficiens, cum id quod Ens non est moveri à bono aut ferri in bonum, quale quid finis est, nullo modo possit; defectus

vero

vero ea ipſa de cauſſa, quia defectus eſt, efficientem cauſſam non habet: nam ſi haberet, utique defectus non eſſet.

XCIII. Vt enim efficere & deficere unum & idem non ſunt, ita quoque quod eſt à cauſſa deficiente, diverſum erit ab eo, quod ab efficiente eſt.

XCIV. Ex ſupra autem dictis manifeſtum eſt, omne malum non aliunde, quàm à cauſſis deficientibus eſſe, & non niſi tum, quando quæ efficere debeant, non efficiunt, ſed deficiunt, in rebus oriri.

XCV. Vnde liquet nec efficientem cauſam aliquam veram mali eſſe, de qua tamen potiſſimum quæſtio eſt: de cæteris enim cauſſis res eſt manifeſtior.

XCVI. Quod diligenter obſervandum, ne cum multis fruſtra ejus cauſſam efficientem per ſe quęramus, cujus talis aliqua per naturam ſuam eſſe non poteſt: (deficiens enim æquivoce tantum cauſſa dicitur) quod qui faciunt, in errores incauti ſe inducant oportet, ex quibus evolui poſtea vix ac ne vix quidem poſſint.

XCVII. At hoc ineptum ſit, & eorum, qui naturam mali ignorant. Rectius D. Auguſtinus lib. 12. de civit. Dei cap. 7. *Cauſſas defectionum*, inquit, *cum efficientes non ſint, ſed deficientes, velle invenire tale eſt, ac ſi quisquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium: quod tamen utrumq́; nobis notum eſt, neque illud niſi per oculos, neq́; hoc niſi per aures, non ſane in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione.*

XCVIII.

XCVIII. Præclare hæc Augustinus, apud quem plura in eandem sententiam legere est.

XCIX. Verum ut his nihil rectius dici posse statuimus, & causam efficientem per se mali nullam esse putamus; ita tamen caussam per accidens ejus dari posse non negamus.

C. Etsi enim efficiens omnis rem positivam per se producit, fit tamen ut per accidens privationis quoque causa sit. Si enim res ipsa produci nequeat, nisi privatio præcesserit, quæ caussa ipsius rei positivæ per se est, per accidens privationis quoque causa esse dicetur, quod si absque privatione ista fuisset, rem eam producere non potuisset.

CI. Sic igitur quando aquam in ignem transmutat, corruptionem aquæ per accidens efficit, cum per se ignem ex aqua generet: fieri enim transmutatio ista non potest, nisi aqua prius destruatur, & formam suam amittat, quod quamdiu non fit, ignis naturam aqua induere nequit.

CII. Sed de caussa per accidens, quia vera caussa non est, ut pluribus dicamus, nihil attinet. Hæc igitur de natura Boni & Mali hac vice sufficiant.

COROLLARIA.

I.

Qui distinguere nescit inter id quod materiale dicitur in re mala, & quod formale, naturam mali non intelligit: materiale enim est subjectum tantum privationis, Ens, & bonum quid, formalis est ipsa boni privatio, Non-Ens, & malum.

II.

Malum malo non opponitur contrarie, nisi ratione boni in quo est malum.

III.

Neque quod malum aliud alio majus sit aliunde est, quàm à bono, cujus privatio est: majus enim vel minus malum dicitur, quod majoris vel minoris boni privatio est.

FINIS.

INDEX DISPUTATIONUM ETHICARUM.

FINIS INDICIS.

Ioan

Joan Caselii